DE ELEGIIS IN MAECENATEM QUAESTIONES.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VIADRINA VRATISLAVIENSI

RITE IMPETRANDOS

DIE III. MENSIS AUGUSTI ANNI MCMI HORA 11½

UNA CUM

SENTENTIIS CONTROVERSIS IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

FRIEDRICH LILLGE

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT

JOHANNES FREUND, DR. PHIL.
KONRAD GUSINDE, DR. PHIL.

VRATISLAVIAE
EX OFFICINA SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE.

Parentibus

pio gratoque animo.

Caput I.

Postquam Mauricius Hauptius carmen, quod inscribitur consolatio ad Liviam Augustam de morte Drusi filii, non modo ab Augustea aetate, sed etiam ab antiquis temporibus abiudicavit, immo saeculo XV. p. Chr. n. ortum esse dixit,[1]) complures exstiterunt, qui hanc rem denuo tractarent, ut magna sit varietas sententiarum de hac re prolatarum.[2]) Nunc vero res iam videtur acta esse: Hauptii sententia falsa est; consolatio ad Liv. est carmen aureae aetatis litterarum Romanarum, sub ipsum Drusi obitum compositum.[3])

Cum hoc carmine duas illas elegias in Maecenatem, Vergilio falso in codicibus adscriptas, arto vinculo cohaerere diu est, ex quo Scaliger observavit. Sed cum consolatio ad Liviam inde ab Hauptii temporibus satis accurate pertractata sit, elegias illas in Maecenatem viri docti non nisi ἐν παρέργῳ tractaverunt, id quod eo magis mirum est, quoniam vel propter Maecenatem ipsum dignae sunt, in quas accuratius inquiratur. Id igitur munus ego suscepi. Atque in universum hanc quoque causam Skutschius diiudicavisse mihi videtur, et quod attinet ad rationem, quae intercedit inter elegias et consolationem ad Liviam, et quod ad tempus attinet, quo elegiae ortae sunt.

---

[1]) Cf. epicedion Drusi. (Lipsiae 1849.) = Opusc. I, 315 sqq.

[2]) Huius quaestionis historiam bene scripsit Wieding, de aetate consolationis ad Liviam. Diss. Kieliae 1888, p. 2 sqq.

[3]) Hoc Skutschius demonstravisse mihi videtur in commentatione, quae edita est in Pauly-Wissowae encyclop. real. s. v. consolatio ad Liv. IV, p. 933 sqq.

Nam primum quidem dubitari non potest, quin auctor elegiarum idem sit atque auctor consolationis ad Liv. Rem ita se habere Scaliger, Adlerus, Wiedingius iam ante Skutschium demonstraverant, quorum argumenta repetere nolo. Sed nonnulla addam, quibus, etsi per se non ita multum valent, cetera graviora argumenta confirmari possunt. — Praeter conspicuas illas carminum similitudines, quas Hauptius, Adlerus, Wiedingius, Skutschius attulerunt (cons. ad Liviam 371/72 ~ eleg. I, 7—8; cons. 39 ~ eleg. II, 6; cons. 47 ~ eleg. I, 15), verba et figurae quaedam exstant in utroque carmine similes: in eleg. II. v. 5 *(pectore maturo fuerat puer, integer aevo)* idem de Druso praedicatur atque in consol. v. 447, ubi de se ipse dicit: *vixi maturior annis.* In eleg. II, v. 23 Maecenas dicit: *exemplum vixi te propter molle beati,* ut in cons. v. 13 poeta queritur Drusum, qui *occidit exemplum iuvenis venerabile morum.* In eandem clausulam exeunt hi versus: eleg. I, 106 *Vicimus: Augusto iudice dignus erat* et cons. v. 62: *res hominum ex tuto cernere dignus erat;* deinde eleg. I, v. 13 *(Caesaris alti)* et cons. v. 453.

In eleg. I, v. 13 *tanto tam carus amico* haec verba *tantus* et *tam* inter se coniuncta sunt ut in cons. v. 42: *tanto tam placuisse viro.*[1])

Neque hoc praetermittam v. eleg. I, 137

Et Pylium flevere sui ter Nestora canum

in memoriam revocare consolationis v. 63

Nec fleri ipse suis nec quemquam flere suorum.

Praeterea memoratu dignum est, quod in utroque carmine vox, quae est *fuisse,* sensu, quem vocamus praegnantem, usurpata est:

eleg. II, 14 *cum dicar subita voce fuisse tibi*[2])

cons. 148 *iamne fui Drusi mater et ipse fuit.*

---

[1]) Hunc lusum verborum poetae aetatis Augusteae amavisse videntur; cf. ex. gr. Prop. IV, 18. 16, II, 33. 5, Verg. Aen. I, 606, Ov. a. a. I, 55.

[2]) Cf. Plaut. Capt. 516, Tib. III, 5. 32, carm. epigraph. Buech. 1230, 4. 5. Cf. adnot. Goralli ad eleg. II, 14 in: C. Albinovani elegiae tres, Amstelodami 1703.

Tum quod attinet ad tempus, quo elegiae ortae sunt, Skutschio assentior, qui eas non ita multo post Maecenatis obitum Lollii iussu compositas esse iudicat. Skutschius et alia et hoc indicat, quam gnarus fuerit poeta omnium rerum, quae ad Maecenatem pertinent. Pleraque sane erant pervulgata atque non modo Augusti Maecenatisque aequalibus nota, sed etiam posterioribus[1]), Maecenatis originem dico (v. 13. cf. Hor. c. I, 1. 1, III, 29. 1, serm. I, 6. 1, Prop. III, 9. 1, Vell. Paterc. 2. 88, Tac. ann. 6, 11, Mart. X, 73. 4, XII, 4. 2), curam urbis Romae (v. 14. 27. cf. Hor. c. III, 8. 17, III, 29. 25, serm. II, 6. 38, Vell. Paterc. II, 88. 2, Tac. ann. 6, 11; 14, 55), doctrinam atque studium artis poeticae (v. 17. 18. 35—38. cf. Hor. c. III, 8. 5, epist. I, 19. 1, Seneca passim), modestiam (v. 31. 32. cf. Hor. s. I, 6, Prop. III, 9. 23, Vell. Pat. l. c., Tac. ann. III, 30, v. 15. 16. Sen. ep. 114), domum Esquilinam (v. 33. 34. cf. Hor. c. III, 29. 9, epod. IX, 3) hortosque magnos (v. 35. 36. Hor. serm. I, 8, Tac. ann. 15, 39, Suet. Tib. c. 15).

Sed notandum est poetam discidium Terentiae coniugis, licet eius rei notitia ad posteriores quoque pervenerit (Dio 54, 19. Seneca de provid. 3), ita tetigisse tantum, ut nemo nisi aequales sine commentario, quid hic versus (eleg. II, 7) sibi vellet, intellegere possent.

Neque illud neglegendum est in v. II, 29 Maecenatem optare, ut Augusto *subcrescant iuvenes bis Caesare digni et tradant porro Caesaris usque genus.* Sunt autem illi iuvenes C. Iulius Caesar anno 734 a. u. c. natus et L. Iulius Caesar a. 737 natus, Agrippae et Iuliae filii (prosop. Rom. II, *I* no. 141 et 148), ab Augusto anno 737 (16 a. Chr.) adoptati. Atque sane id votum Maecenatis ex Augusti animi sententia fuit; nam nihil vehementius is optavit, quam ut suae proli dignitatem imperatoriam traderet.[2]) Sed faustus

---

[1]) Testimonia collegit praeter Meibomium Maecenas, Lugd. Bat. 1653 A. Lion, Tironiana et Maecenatiana. 2. ed. Gotting. 1846. Cf. nunc prosopograph. Roman. s. v. Maecenas.

[2]) Cf. Gardthausen, Augustus und seine Zeit. I, 2. Livia.

eventus id votum secutus non est; nam L. Caesar anno 755 (p. Chr. 2) Massiliae morbo periit et C. Caesar a. 757 (p. Chr. 4) IX. kal. Martias mortuus est, post quorum mortem Augustus Tiberium adoptavit a. 757 (p. Chr. 4; Vell. II, 103). Si igitur poeta post a. 757, quo Augustum spes generis sui propagandi miserum in modum fefellit, carmina composuisset, aut Maecenatem talia dicentem non ficturum fuisse aut suo nomine additurum vana fuisse Maecenatis vota verisimile est. Sed multo magis memorabile est, quod de Maecenate ea quoque narrat, quae posteris nota fuisse non videntur. Velut in enumerandis pugnis, quibus Maecenas interfuit, habet, quod neque ex Propertio neque ex alio auctore haurire potuit. Aperte enim dicit elegiae auctor Maecenatem pugnae apud Actium commissae interfuisse:

v. 45 Cum freta Niliacae texerunt lata carinae,
fortis erat circa, fortis et ante ducem.

At in versibus Propertii:

II, 1. 26 Nam quotiens Mutinam aut civilia busta Philippos
aut canerem Siculae classica bella fugae,
te mea Musa illis semper contexeret armis

hoc non inest.

Sed quod apud Dionem traditur Maecenatem tum Romae Italiaeque ab Augusto praefectum esse[1]), fuerunt, qui Maecenatem pugnae Actiacae interfuisse omnino negarent.[2]) Qui si recte iudicarent, non facile elegias Augustea aetate compositas esse censeremus; neque enim Maecenatis aequalem quemquam talem errorem commisisse credibile est. Sed revera adfuisse pugnae Actiacae Maecenatem probavit Buecheler[3]), argumentis usus ex epodon Horatii libro petitis; nam et versibus 9, 35: *vel quod fluentem*

[1]) Cf. imprimis Dio. 51, 3: καίτοι ὁ Καῖσαρ ὑποτοπήσας τε αὐτοὺς καὶ φοβηθεὶς μὴ τοῦ Μαικήνου, ᾧ καὶ τότε ἥ τε Ῥώμη καὶ ἡ λοιπὴ Ἰταλία προςετέτακτο, καταφρονήσωσιν, ὅτι ἱππεὺς ἦν, τὸν Ἀγρίππαν ὡς καὶ κατ᾽ ἄλλο τι εἰς τὴν Ἰταλίαν ἔπεμψεν.

[2]) Cf. Gardthausen, Augustus und seine Zeit II, 2. p. 433 adn. 10.

[3]) Coniectanea. Ind. lect. Bonn. 1878/79. p. 13.

nauseam coerceat metire nobis Caecubum describi Horatium cum Maecenate post pugnam Actiacam „in nave non indecora laboravisse nausea belli pericula in eius nave temptantem“[1]) et versus epodon primos *ibis Liburnis* sic ab Horatio relinqui, immo prima poni non potuisse, si abhorrerent a vero, Buecheler dicit et addit: „Dio cum mandatam Maecenati urbis Italiaeque curam τότε fuisse ait, res memorat gestas post proelium et mensem Septembrem.“

Quoniam igitur Maecenas pugnae Actiacae interfuit, quae in v. 45/46 leguntur, non posteriore aetate rhetorice ficta aut amplificata sunt, — nisi quod fortasse fortitudinem Maecenatis poeta nimis laudavit, quod laudatori condonemus —, sed vera omnia.

Praeterea non dubito, quin in verss. 57 sqq., qui Bacchum India devicta triumphantem mirum in modum depingunt, poeta homines et spectacula Augusteae aetatis significare voluerit, quamquam singula satis obscura sunt neque, quid lateat, plane explicare possum. Antonium in terris ad orientem vergentibus Bacchum se gessisse notum est.[2]) Itaque Antonium sub Bacchi nomine describi Gorallus putavit (l. c. p. 6. adn. 2.), idque eo verisimilius esse praedicat, quia maledicta in Maecenatem congessisse viderentur ei praesertim, qui ab Antonii partibus fuissent. Quod quamquam non insulsum esse censeo, tamen verisimile non est Maecenatis defensorem eum Antonii exemplo excusavisse, quo sine dubio Augustum vehementer offendisset. Sed Ziebeno[3]) assentior, qui hic de Augusto ipso cogitandum

[1]) Cf. Suet. Aug. 17: Nec multo post navali proelio apud Actium vicit (Augustus), in serum dimicatione protracta, ut in nave victor pernoctaverit.

[2]) Cf. Gardthausen, Augustus und seine Zeit II, p. 85 no. 8., p. 116 no. 1. 2. 3., p. 226 no. 9. de Caio Caligula tradit Socrates Rhodius apud Athenaeum IV, 148 B: καὶ Γάιος δὲ ὁ αὐτοκράτωρ ὁ Καλλίκολα προσαγορευθεὶς διὰ τὸ ἐν στρατοπέδῳ γεννηθῆναι οὐ μόνον ὠνομάζετο νέος Διόνυσος, ἀλλὰ καὶ τὴν Διονυσιακὴν πᾶσαν ἐνδύνων στολὴν προῄει καὶ οὕτως ἐσκευασμένος ἐδίκαζεν.

[3]) Ziehen, Eine Zeitbeziehung in der ersten Maecenas-Elegie. Rhein. Mus. 1897, p. 450.

esse censet. Ausim enim conicere Augustum, ut victoriam Indicam celebraret, vel alia quadam de causa, festos dies et in Bacchi et in suum honorem celebravisse, quibus magnam pompam duxit, fortasse Ptolemaei II. Philadelphi pompam imitatus ab illo a. 280 institutam[1]), in qua Bacchum Augustus ipse se gessit. Callixeniana (apud Athen. V, p. 195 ff.) enim descriptio illius partis pompae Ptolemaicae, in qua Bacchus ipse curru vehebatur, mirificum in modum consentit cum descriptione apud elegiae auctorem, cf. imprimis Athen. p. 198c: μετὰ τούτους τετράκυκλος πηχῶν τετταρεσκαίδεκα, ὀκτὼ δὲ τὸ πλάτος ἤγετο ὑπὸ ἀνδρῶν ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατόν, ἐπὶ δὲ ταύτης ἐπῆν ἄγαλμα Διονύσου δεκάπηχυ σπένδον ἐκ καρχησίου χρυσοῦ, χιτῶνα πορφυροῦν ἔχον διάπεζον καὶ ἐπ᾽ αὐτοῦ κροκωτὸν διαφανῆ, περιεβέβλητο δὲ ἱμάτιον πορφυροῦν χρυσοποίκιλον, 200b: ἐπὶ δὲ ἄλλης τετρακύκλου, ἣ περιεῖχε τὴν ἐξ Ἰνδῶν κάθοδον Διονύσου, Διόνυσος ἦν δωδεκάπηχυς ἐπ᾽ ἐλέφαντος κατακείμενος, ἠμφιεσμένος πορφυρίδα καὶ στέφανον κισσοῦ καὶ ἀμπέλου χρυσοῦν ἔχων· εἶχε δ᾽ἐν ταῖς χερσὶ θυρσόλογχον χρυσοῦν, ὑπεδέδετο δ᾽ἐμβάδας χρυσορραφεῖς. cf. eleg. I, 60. 62. 65.

Hoc sane interest, quod in Ptolemaei pompa non homo dei partem agit, sed eius statua vehitur. Sed hoc nihil habet offensionis, cum Augustus alias quoque deorum vice fungi veritus non sit[2]), neque in Graecorum cultu inusitatum

[1]) Cf. Delamarre, Revue de philol. XX, 1896, p. 103 ff. Bened. Niese, Geschichte der griechischen und makedonischen Staaten seit der Schlacht bei Chäronea II, Gotha 1899, p. 108.

[2]) Cf. Suet. Aug. II, 4. 70: Cena quoque eius (Augusti) secretior in fabulis fuit, quae vulgo δωδεκάθεος vocabatur; in qua deorum dearumque habitu discubuisse convivas et ipsum pro Apolline ornatum, non Antonii modo epistulae singulorum nomina amarissime enumerantis exprobrant, sed et sine auctore notissimi versus:

Cum primum istorum conduxit mensa choragum,
Sexque deos vidit Mallia sexque deas;
Impia dum Phoebi Caesar mendacia ludit,
Dum nova divorum cenat adulteria:
Omnia se a terris tum numina declinarunt,
Fugit et auratos Iuppiter ipse thronos.

fuerit homines deorum partes agere[1]), id quod Romani imitati sunt. Illi Ptolemaei pompae ipsi quoque poeta interfuit: Athen. p. 198c. μεθ' οὓς ἐπορεύετο Φιλίσκος ὁ ποιητὴς ἱερεὺς ὢν Διονύσου. cf. el. v. 67. 68.

Huc accedit, quod, nisi fallor, Horatius in c. II, 19 ad illud vel aliud simile festum Augusti spectat. Primos enim versus:

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem etc.

vix sic explicandos esse puto, ut Kiesslingius vult, sed, credo, Horatius describit antrum Bacchi, quod in pompa quadam vidit. Similem in modum describitur antrum, quod in Ptolemaei pompa curru vectum est apud Athen. 200 b. οὐκ ἄξιον δ'ἦν παραλιπεῖν τήνδε τὴν τετράκυκλον, μῆκος οὖσαν πηχῶν εἴκοσι δύο, πλάτος δεκατεσσάρων, ὑπὸ ἀνδρῶν ἑλκομένην πεντακοσίων. ἐφ' ἧς ἄντρον ἦν βαθὺ καθ' ὑπερβολὴν κισσῷ καὶ μίλῳ. ἐκ τούτου περιστεραὶ καὶ φάσσαι καὶ τρυγόνες καθ' ὅλην ἐξίπταντο τὴν ὁδόν, λημνίσκοις τοὺς πόδας δεδεμέναι πρὸς τὸ ῥᾳδίως ὑπὸ τῶν θεωμένων ἁρπάζεσθαι. ἀνέβλυζον δὲ ἐξ αὐτοῦ καὶ κρουνοὶ δύο, ὁ μὲν γάλακτος, ὁ δὲ οἴνου. cf. Hor. l. c. v. 9 sqq. Πᾶσαι δ'αἱ περὶ αὐτὸν Νύμφαι στεφάνους εἶχον χρυσοῦς, ὁ δὲ Ἑρμῆς καὶ κηρύκειον χρυσοῦν, ἐσθῆτας δὲ πολυτελεῖς.[2])

Postquam sic Horatius carminis initium sumpsit ex eis, quae in pompa viderat, amplius ad Bacchum celebrandum procedit. — Scio hanc meam interpretationem et carminis

---

Augustus cum Baccho comparatur: Verg. Aen. VI, 801 sqq., Hor. c. III, 3. 9, Ep. II, 1. 5. cf. Ed. Norden, Vergils Aeneis im Lichte ihrer Zeit, Neue Jahrb. für d. klass. Altert. VII, 1901, p. 273.

[1]) Cf. Friedr. Back, de Graecorum caerimoniis, in quibus homines deorum vice fungebantur, diss. Berol. 1883. Plura eiusmodi collegit J. Burckhardt, Griech. Kulturgeschichte II, p. 168. Cf. Böckh, Encyclopädie d. Philol. p. 428: „dass die göttliche Verehrung eine Verähnlichung mit der menschlichen sein soll, drücken mehrere alte Kulte symbolisch aus, indem darin der Liturg bei hohen Festen durch typische Tracht den Gott selbst darstellte."

[2]) Cf. H. Weil, un péan delphique à Dionysos, Bull. de corr. hell. 19, 1895, p. 408/09 v. 131 sqq. et Plut. de sera numinum vindicta p. 565 F, quem locum Weilius l. c. attulit, et Socrat. Rhod. apud Athen. IV, 148 B.

Horatiani et elegiae incertam neque satis firmis argumentis fultam esse, tamen eam protuli spe perductus his coniecturis in obscuro illo elegiae loco illustrando fortasse sic aliquid profici posse.

Haec pauca eis addere mihi proposueram, quae Skutschius aliique de auctore et tempore elegiarum protulerunt. Persuasum igitur mihi est eas ab uno auctore neque ab alio compositas esse atque consolationem ad Liviam idque Augustea aetate, non multum post Maecenatis obitum.

Sed multo magis quam omnes hae singulae res tota carminum forma argumento est ea Augustea aetate orta esse. Exornata enim sunt omnibus illis coloribus, qui tum in usu erant. Invenimus autem tria illa, ut ita dicam, elementa, quae in omnibus minorum Augusteae aetatis poetarum carminibus invenimus: primum poeta principes poetarum Augusteorum ipsos studiose imitatus est; tum observari potest poetam carmina sua poetarum Alexandrinorum vel poetarum latinorum neotericorum, qui vocantur, qui Romanis Alexandrinorum poesin tradiderunt[1]), subtilitatibus quibusdam exornavisse; denique poeta rhetorum praeceptis bene imbutus[2]) et instructus est. Rem ita se habere in eis, quae sequuntur, demonstrare conabor.

[1]) Neotericos illos poetas maxime ingeniosos fuisse et permultum ad litteras latinas promovendas valuisse eo magis elucet, quo melius cognoscimus, quantum vel principes poetarum Augusteorum eis debeant; sed haec res nondum satis perquisita est. Quomodo ex. gr. Horatius pendeat e prioribus in epod. XI, bene demonstravit Leo, de Horatio et Archilocho, Gotting. 1900.

[2]) De ratione, quae intercedat inter artem rhetoricam et poetas latinos cf. Ed. Norden, Antike Kunstprosa, II, p. 889 ff.

Caput II.

Elegiae quatenus pendeant ex Augusteae aetatis carminibus.

Primum quidem videamus, quibus locis elegiarum auctor Tibulli versus imitatus esse videatur.

Versus I, 94 victor odorata dormiat inque rosa exemplum fuisse videtur:

Tib. I, 3. 62 floret odoratis terra benigna rosis,

versus I, 99 lux est: taurus arat; nox est: requiescit arator
Tib. II, 1. 5 luce sacra requiescat humus, requiescat arator,

v. I, 132 Luciferum contra currere cernis equis
Tib. I, 3. 93 hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.[1])

Secundae elegiae hi versus Tibulli memoriam revocant:
II, 6 Caesaris illud opus[2])
Tib. III, 4. 26 humanum nec videt illud opus.

II, 15 hoc mihi contingat
Tib. I, 1. 49 hoc mihi contingat
I, 3. 33 at mihi contingat.
cf. Ov. am. III, 2. 9 hoc mihi contingat.

II, 29 et tibi subcrescant iuvenes bis Caesare digni
Tib. I, 7. 55 at tibi succrescat proles, quae facta parentis
augeat et circa stet veneranda senem.

[1]) Eosdem Tibulli versus poeta imitatus est in cons. ad Liv. 281/82
hunc Aurora diem spectacula tanta ferentem
quam primum croceis rosida portet equis.

[2]) Ad hunc versum infra plura afferam, cf. p. 29.

Utrum v. I, 34[1]) paucaque pomosi iugera culta soli secundum Tibulli v. I, 1. 2 exemplar formatus sit

et teneat culti iugera multa soli

an Ovidii, qui ipse quoque Tibulli versum saepius imitatus est

am. III, 15. 12 moenia, quae campi iugera pauca tenent
fast. III, 192 iugeraque inculti pauca tenere soli

dubitari potest. Sed puto elegiarum in Maec. auctori potius Tibulli locum ob animum versatum esse quam Ovidii[2]), quod in eodem Tibulli carmine sequitur v. 17

pomosisque ruber custos ponatur in hortis,

unde et *pomosi* in v. 34 elegiae originem duxit et exitus versus 35

Pieridas Phoebumque colens in mollibus hortis.

Nonnullis locis eleg. auctor Vergilium imitatus est:

I, 57 Bacche, coloratos postquam devicimus Indos
cf. Verg. georg. IV, 293

usque coloratis amnis devexus ab Indis.

cf. Prop. V, 3. 10 ~ Tib. IV, 2. 20 ~ Ov. a. a. III, 130.

I, 67 mollius es solito mecum tum multa locutus
cf. Verg. Aen. VII, 357

mollius et solito matrum de more locuta est

I, 123 illius aptus eras croceo recubare cubili
Verg. georg. I, 446 Tithoni croceum linquens Aurora cubile, quem versum Vergilius[3]) Homeri formulas epicas imitatus bis in Aeneide repetivit, IV, 585, IX, 460.

---

[1]) Cf. Hor. c. III, 16, 29

purae rivus aquae silvaque iugerum
paucorum et segetis certa fides meae.

Sententia sumpta est ex Alexandrinorum poesi.

[2]) ut praetermittam, quod versus Ovidii f. III, 192 elegiarum auctori exemplo omnino esse non potuit, si recte elegias sub ipsam Maecenatis mortem scriptas esse puto.

[3]) Vergilius ipse imitatus est M. Furium Bibaculum fg. 8, Bährens (apud Macrob. VI, 1. 3) interea Oceani linquens Aurora cubile. cf. Hom. Λ 1. Ἠὼς δ' ἐκ λεχέων παρ' ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο
ὤρνυθ', ἵν' ἀθανάτοισι φόως φέροι ἠδὲ βροτοῖσιν.

Totum hunc locum poeta eisdem coloribus ornavit, ut hoc iam nunc addam, quibus poetae Augustei Auroram depingere solebant; hos locos conferas quaeso:

Verg. Aen. VII, 25 iamque rubescebat radiis mare et aethere
ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis
VI, 535 hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Tib. I, 3. 93 hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis
Ov. a. II, 3. 43 placuit croceis Aurora capillis
a. a. III, 179 ille crocum simulat (croceo velatur amictu)
roscida luciferos cum dea iungit equos
(cf. Hom. T 1 Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἀπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων
ὤρνυθ'.
Θ 1 Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν.)
met. III, 149 altera lucem
cum croceis invecta rotis Aurora reducet
f. III, 403 cum croceis rorare genis Tithonia coniunx
coeperit.

Initium versus 39 *quid faceret* eleg. in Maec. auctor ex Vergilio mutuatus est. Legitur enim *quid facerem* apud Verg. ecl. I, 40, VII, 14 (cf. Ovid. f. V, 313, trist. I, 3. 49).

V. II, 5 pectore maturo fuerat puer, integer aevo
exitus idem est atque versuum Vergilii Aen. II, 638[1])
vos, o, quibus integer aevi
IX, 255 actutum pius Aeneas atque integer aevi[2]),
quos Ovidius quoque imitatus est met. IX, 441
et Minoa queri, qui, dum fuit integer aevi.

---

[1]) Vergilii versus praeterea his versibus exemplum fuit: Stat. silv. II, 6. 46. (Epicedion ad Flavium Ursum):
teneri sic integer aevi.
Ausonius, epiced. in patrem XI. Sch. v. 40
at qui fuit ultimus aevi
pubertate rudi non rudis interiit.

[2]) Verg. Ennium videtur imitatus esse; cf. Servii scholion: *integri aevi, id est, cui aetas integra superest, unde Ennius deos aevi integros dicit, quibus multum aevi superest.*

In v. 41 illum piscosi viderunt saxa Pelori

Pelori in fine hexametri positum est ut in Vergilii v. Aen. III, 411 ventus et angusti rarescunt plaustra Pelori

III, 687 ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori.

Apud Ovidium in fine versus invenitur in his versibus: met. V, 350, XIII, 727, XV, 706.

Imprimis autem Propertii carmina sibi imitanda proposuit elegiarum in Maec. auctor. Totos fere versus inde sumpsit. (Cf. Baehrens poet. lat. min. I, p. 123.)

Cf. v. 40 miles et Augusti fortiter usque sequi

cum Prop. III, 12. 2 miles et Augusti fortia signa sequi.

V. 58[1]) potasti galea dulce iuvante merum

Prop. III, 12. 8 potabis galea fessus Araxis aquam.

Cum v. 51 Actius ipse lyram plectro percussit eburno

cf. Prop. II, 1. 9 sive lyrae carmen digitis percussit eburnis

et III, 3. 25 dixerat et plectro sedem mihi monstrat eburno, ubi hoc item de Phoebo ipso narratur; simile aliquid apud Tibullum invenitur:

III, 4. 39 hanc primum veniens plectro modulatus eburno.

Ex his versibus eleg. auctor suum versum quasi consuisse videtur.[2])

[1]) Praeterea cf.:

Tib. II, 6. 7 erit hic quoque miles,
ipse levem galea, qui sibi portet aquam.

Stat. Theb. 663 hostilem Ismenon galeis Dircenque bibemus.

Lucan. IX, 502 concitus ira
excussit galeam, suffecitque omnibus unda.

Apollin. Sidon. panegyr. Anthem. 443
Indicus Ausonia potetur casside Ganges.

[2]) Et apud Vergilium Aen. VI, 647 occurrit idem versus exitus:
iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno,
qui versus in anthol. lat. 18, 24 Riesii repetitur; cf. Stat. silv. V, 5. 31
nec eburno pollice chordas
pulso

Laud. Pison. 166 sive chelyn digitis et eburno verbere pulsas (cf. C. Weyman, Studien z. d. carmina latina epigraphica, in Blätter f. d. bayr. Gymnasialschulwesen 31 [1895] p. 541.)

In v. 37/38 marmorea Aonii vincent monimenta libelli:
vivitur ingenio, cetera mortis erunt

sententia et vox *ingenio*[1]) in caesura posita sumptae sunt ex Prop. III, 2. 23/24

at non ingenio quaesitum nomen ab aevo
excidet: ingenio stat sine morte decus.

Exitus versus 37: *monimenta libelli* formatus est secundum exemplar versuum Propertii eiusdem carminis

15/16 fortunata meo si qua est celebrata libello!
carmina erunt formae tot monumenta tuae!

Eosdem Propertii versus imitatus est Ovidius trist. V, 14, 1

quanta tibi dederim nostris monumenta libellis,
o mihi me coniunx carior, ipsa vides.
4 tu tamen ingenio clara ferere meo

et trist. III, 3. 77 etenim maiora libelli
et diuturna magis sunt monimenta mihi.

Quod versus eleg. in Maec. I, 37 et Ovidii trist. V, 14. 1 consentiunt in hexametri exitu *monimenta libelli(s)*, fortuito accidit, neque inde concludendum est eleg. auctorem post Ovidii tristia carmina sua composuisse; nam haec ipsa verba Propertius utrique poetae praebuit, et videbis Ovidium Propertii verba variare studuisse, si inter se comparaveris Ov. trist. III, 3. 77 et V, 14. 1. Fortuito altero loco in eundem verborum ordinem incidit atque elegiarum in Maec. auctor.

V. 36 sederat argutas garrulus inter aves
originem duxit ex Prop. I, 18. 30
cogor ad argutas dicere solus aves.

[1]) Sententia saepissime invenitur apud auctores antiquos, imprimis in epicediis aut carminibus sepulcralibus; multos locos collegit Vollmer ad epicedii Statiani in Priscillam (V, 1) v. 1. Addi potest Sen. ad Polyb. 18, 2: *hoc enim unum est rebus humanis opus, cui nulla tempestas noceat, quod nulla consumat vetustas. cetera quae per constructionem lapidum et marmoreas moles aut terrenos tumulos in magnam eductos altitudinem constant, non propagant longam diem, quippe et ipsa intereunt: immortalis est ingenii memoria.* Praeterea cf. Ovid. am. I, 15. 31

ergo, cum silices, cum dens patientis aratri
depereant aevo, carmina morte carent.

In v. II, 21 ipse ego, quidquid ero, cineres interque favillas

hoc *quidquid ero* aut Propertianum aut Vergilianum est;

cf. Prop. I, 11. 26 quidquid ero, dicam, Cynthia causa fuit.

I, 19. 11 illic, quidquid ero, semper tua dicar imago

Verg. georg. I, 36 quidquid eris — nam te nec sperant Tartara regem.

Hoc Ovidius quoque imitatus est:

Ibid. v. 153 quidquid ero, Stygiis erumpere nitar ab oris.

Initium versus 106 vicimus: Augusto iudice dignus erat formatum est aut secundum exemplar Propertii I, 8. 28

vicimus: assiduas non tulit illa preces

aut Ovidii, qui ipse quoque hunc versum Propertii imitatus est:

am. II, 12. 2 vicimus: in nostrost, ecce, Corinna sinu

rem. am. 388 vicimus, et falsi criminis acta reast.

Neque hoc silentio praetermittendum esse censeo exitum

v. eleg. II, 12 dum moriorque, sat est

eundem esse atque Prop. II, 10. 6 in magnis et voluisse sat est; praeterea cf. Prop. I, 2. 26, IV, 9. 36, Ov. f. IV, 922, tr. V, 7. 68, laud. Pison. 215 at voluisse sat est.

Sed non modo singulos Propertii versus elegiarum in Maec. auctor imitatus est, sed etiam locos nonnullos Propertii quasi argumenta in carmine suo fusius tractanda sibi proposuit, quae aut suis verbis aut aliorum poetarum usus aut interdum ad Propertium ipsum alludens explanaret et persequeretur.

„Totam libri tertii elegiam nonam elegiarum in Maecenatem auctorem ob oculos habuisse“ iam Baehrensius recte monuit. Eius elegiae v. 1

Maecenas, eques Etrusco de sanguine regum

exemplum esse potuit versus 13

regis eras, Etrusce, genus;

sed usus est magis quaesita et, ut ita dicam, altiore voce quam Propertius. (Vel Horatius Maecenatem tam altis vocibus non alloquitur, sed humilioribus: *Maecenas, atavis edite regibus; Tyrrhena regum progenies.)* Nam vox, quae est *genus,* ea significatione, quam habet proles aut progenies, non nisi in elato sermone adhibetur idque plerumque de deis aut deorum progenie aut heroibus;

cf. Catull. 61, 1. 2 Collis o Heliconii
cultor, Uraniae genus

64, 23 heroes, salvete, deum genus

Verg. Aen. VII, 212 rex, genus egregium Fauni

IV, 12 credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum

VII, 556 egregium Veneris genus et rex ipse Latinus

Hor. c. I, 3. 27 audax Iapeti genus

c. II, 17. 37 Tantali genus

c. II, 14. 18 et Danai genus infame

paneg. in Mess. 62 quamvis illa foret Solis genus (Circe).

Tum *genus* Vergilius dicit de Caesare Augusto, quod dei, Caesaris, filius est.

Aen. VI, 792 Augustus Caesar, divi genus

(eodem modo anthol. lat. 863 Riesii de Iulio Caesare:
sum genus Aeneadum Gaius cognomine Caesar).

De homine autem, hominum prole, rarissime *genus* dicitur, qui vocis usus antiquitatem et gravitatem sapit; cf.

Verg. VI, 500 Deiphobe, armipotens, genus alto a sanguine Teucri

Hor. c. II, 4. 15 regium certe genus (ironice dictum).

Eiusdem carminis Propertiani versus 2

intra fortunam qui cupis esse tuam

et versus 23 sqq., qui quasi explicationem singularium illius sententiae partium continent, imprimis v. 27 sqq.

(cum) et tibi ad effectum vires det Caesar et omni
tempore tam faciles insinuentur opes,
parcis et in tenues humilem te colligis umbras,
velorum plenos subtrahis ipse sinus

elegiarum in Maec. poetam fortasse impulerunt, ut versus 15/16 et postea 31/32 componeret:

omnia cum posses tanto tam carus amico,
te sensit nemo velle nocere tamen.

31/32 maius erat potuisse tamen nec velle triumphos,
maior res magnis abstinuisse fuit.

Neque tamen Propertii verbis hanc sententiam expressit, sed usus est proverbio pervulgato, quod origine graecum est, tum ad Romanos migravit; cf. Philemon. fr. com. IV, 37, M. apud Stob. flor. IX, 22 = Menandri monost. 638[1])

ἀνὴρ δίκαιός ἐστιν, οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν,
ἀλλ' ὅστις ἀδικεῖν μὴ βούλεται.

Cf. Democriti sentent. 27 ἀγαθὸν οὐ τὸ μὴ ἀδικέειν, ἀλλὰ τὸ μηδὲ ἐθέλειν.

Publil. Syr. sent. 397 (Ribbeck)

nocere posse et nolle laus amplissima est.

app. sent. 270, Ribb.

in quem potes peccare, peccare abstine.

Similiter apud Auson. sept. sapient. sent. 1, 6. p. 147 P. Bias Prienensis dicit:

quid prudentis opus? cum possis nolle nocere.
quid stulti proprium? non posse et velle nocere.

cf. Ovid. her. XII, 75 perdere posse sat est, si quem iuvet ipsa potestas.

f. IV, 922 neve noce cultis; posse nocere sat est.

Cic. ad fam. III, 10. 6 *tamen ea stultitia non fuissem, ut aut in obscuro odio apertas inimicitias aut, in quo tibi nihil nocerem, summam ostenderem voluntatem nocendi.* (attulit Schenkelius ad Ausonii loc. laud.).

Deinde versus Propertii l. c. 34

Maecenatis erunt vera tropaea fides

resonat in elegiae in Maec. versibus 11/12

foedus erat vobis nam propter Caesaris arma,
Caesaris et similem propter in arma fidem.

Maecenatis fidem Propertius praeterea laudat II, 1. 36

et sumpta et posita pace fidele caput,

quod carmen item eleg. auctori exemplo fuisse supra p. 16 vidimus. Sed rursus poeta in versibus allatis materiem ex Propertio sumpsit, non verba, praeter *Caesaris arma,*

cf. Prop. IV, 1. 46 vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus,

---

[1]) Primus hunc locum attulit Burmannus, anthol. lat. II, p. 719.

quod Ovidius quoque imitatus est:

rem. 156 iam videt in campis Caesaris arma suis

fast. I, 13 Caesaris arma canant alii

et Martialis I, 22. 6 non timeat Dacus Caesaris arma puer.

In verss. 45 sqq.[1] largiorem pugnae Actiacae descriptionem Propertianam IV, 6. 15 sqq. in artum contraxit. Hoc loco non modo in rebus ipsis narrandis omnino fere cum Propertio consentit, sed etiam verbis ad eum alludit, quamquam pugnam suis verbis narrare studuit, neque solum eum Prop. locum, quem attuli, sed etiam ceteros, quibus Propertius pugnae Actiacae mentionem fecerat, respexit.

Ac primum quidem Propertii versus II, 16. 37

> cerne ducem, modo qui fremitu complevit inani
> Actia damnatis aequora militibus.
> hunc infamis amor versis dare terga carinis
> iussit et extremo quaerere in orbe fugam

nonnulla praebuerunt eleg. in Maec. auctori;

cf. v. 56 misit ad extremos exorientis equos

v. 47 fugientis terga secutus.

In v. 45 eleg. *carinae* in fine hexametri positum est ut in v. Prop. l. c. 39 et Prop. IV, 6. 17

> Actia Iuleae, pelagus, monimenta carinae,

et versus Propertianos III, 11. 29

> quid, modo quae nostris opprobria vexerit armis
> et famulos inter femina trita suos
> coniugis obsceni pretium Romana poposcit[2])
> moenia et addictos in sua regna patres

agnosces in versibus 53/54

> hic modo miles erat ne posset femina Romam
> dotalem stupri turpis habere sui,[3])

---

[1]) Baehrensius versuum ordinem sine ulla causa mutavit.

[2]) Cf. Florus II, 21. 2 *mulier Aegyptia ab ebrio imperatore pretium libidinum Romanum imperium petit.*

[3]) Hic versus resonare videtur apud Manilium I, 914

> necdum finis erat: restabant Actia bella
> dotali commissa acie, repetitaque rerum
> alea et in ponto quaesitus rector Olympi;
> femineum sortita iugum cum Roma pependit
> atque ipso Isiaco certarunt fulmina sistro

(cf. Verg. Aen. VIII, 696 regina in mediis patrio vocat agmina sistro).

ubi imitatorem Propertii verecundiam depravantem deprehendimus;

cf. Prop. IV, 6. 22 pilaque feminea turpiter acta manu
IV, 6. 57 vincit Roma fide Phoebi, dat femina poenas.

Dicere non ausim consulto eleg. in Maec. auctorem eadem illa verba usurpasse atque Propertium, sed cum iam sciamus eum narrationem pugnae navalis Actiacae Propertianam memoria fideli tenuisse, hoc certe dicere licet ei scribenti verba Propertii quasi sua sponte fluxisse.

Imprimis autem in verss. 51/52 Propertium agnoscimus: (cf. p. 16)

Actius ipse lyram plectro percussit eburno,
postquam victrices conticuere tubae.

Propertii locus, quem elegiae auctor sequitur, hic est: IV, 6. 67[1])

Actius hinc traxit Phoebus monimenta, quod eius
una decem vicit missa sagitta rates.
bella satis cecini: citharam iam poscit Apollo
victor et ad placidos exuit arma choros.

Hac quoque in re eleg. auctor in pugna Actiaca describenda cum Propertio consentit, quod Apollinem tela mittentem facit v. 55/56

hic tela in profugos (tantum curvaverat arcum)
misit ad extremos exorientis equos,

— scilicet ridiculum in modum, ut fere imitatoribus accidit, rem in maius extulit, quam Propertius continenter et modeste sic narraverat:

IV, 6. 55 dixerat et pharetrae pondus consumit in arcus
67 una decem vicit missa sagitta rates,

cum apud Vergilium Apollo vel tentando arcum rem diiudicet: Aen. VIII, 704

Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
desuper. omnis eo terrore Aegyptus et Indi,
omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.

[1]) Recte Rothsteinius ad hunc locum adnotat Apollinem pugna pugnata victoriam cantu celebrantem poetis Romanis ex aliquo carmine graeco innotuisse his locis collatis: Tib. II, 5. 9, Hor. carm. II, 10. 18, Sen. Agam. 326.

Vidimus igitur elegiarum in Maec. auctorem in legendis Propertii carminibus studiose et multum versatum esse, nec singulos tantum versus imitatum esse, sed etiam totos Propertii locos ad Maecenatem spectantes *circa eosdem sensus certamine atque aemulatione* (Quintil. X, 5. 5) transscripsisse illa arte, qua adulescentes Romani in rhetorum scholis imbuti postea vel in carminibus usi sunt.[1])

Similis est ratio, quae inter Ovidium et eleg. in Maec. auctorem intercedit.

Ex Ovidii amoribus hi loci similes sunt elegiarum quibusdam versibus:

am. I, 13. 10 roscida purpurea supprime lora manu
III, 2. 72 tende, precor, valida lora sinistra manu
in Maec. I, 126 tum dare purpurea lora regenda manu

am. I, 14. 38 ut placeas, debes immemor esse tui
in Maec. II, 22 tunc quoque non potero non memor esse tui

am. II, 4. 48 sive rudis, placita es simplicitate tua
in Maec. I, 22 diluis hoc nimia simplicitate tua[2])

am. III, 7. 8 bracchia Sithonia candidiora nive
(ex P. II, 5. 38 et non calcata candidiora nive),
quibus locis Ovidius Catulli versum imitatus esse videtur:
80, 2 hiberna fiant candidiora nive.
(Auson. Parentalia XV, 7. 5 Schenkl Ovidium imitatus est:
sed non atra animo, qui clarior esset olore
et non calcata qui nive candidior.)
in Maec. I, 62 bracchia purpurea candidiora nive.[3])

---

[1]) Cf. Friedr. Leo, de Statii silvis commentatio, Ind. schol. Gotting. 1892/93 p. 9.

[2]) Cf. Wagner, de Martiale poetarum aetatis August. imitatore, diss. Regimont. 1880.

[3]) Fortasse enim recte codices in hoc versu *purpurea* praebent. Iam Scaliger ad hunc versum explicandum Hor. c. IV, 1. 10
purpureis ales oloribus
attulit, et bene Rothsteinius adnotavit ad Prop. III, 32
purpureus pluvias cur bibit arcus aquas

am. III, 1. 51 delabique toro tunica velata soluta
in Maec. I, 25 Livide, quid tandem tunicae nocuere solutae
59 et tibi securo tunicae fluxere solutae
cf. Prop. IV, 8. 61 illas direptisque comis tunicisque solutis
Tib. I. 5. 15 ipse ego velatus filo tunicisque solutis

Ov. am. III, 7. 41 illius ad tactum Pylius iuvenescere possit
in Maec. I, 111 His te, Maecenas, iuvenescere posse decebat.

Ex heroidibus nonam eleg. auctor imitandam sibi proposuit in versibus 69—86[1]), simili modo atque id in Propertii nonnullis locis factum esse supra p. 23 indicavimus.

In v. 69

impiger Alcide duro defuncte labore

Alcide ante caesuram positum et *labore* in fine versus positum in memoriam revocant Ovidii versum her. IX, 75

non fugis, Alcide, victricem mille laborum.

In v. 73 ultra numquid erat? torsisti pollice fusos

pollice eodem versus loco positum est atque in v. her. IX, 77

crassaque robusto deducis pollice filos

et *torsisti* poeta propterea fortasse usurpavit, quod apud Ovidium in insequenti disticho hoc verbum legit:

77 a! quotiens digitis dum torques stamina duris,

qui versus fortasse exemplum fuit elegiae versus 76

te propter dura stamina rupta manu;

sed simul meminerat poeta versus Tibulliani iam supra allati I, 6. 78

ducit inops tremula stamina torta manu.

Praeterea autem fieri potest, ut poeta hos Propertii versus ob oculos habuerit: III, 11. 17 (cuius carminis ver-

---

„mit *purpureus* ist nicht eine bestimmte einzelne Farbe gemeint, sondern der Farbenglanz der ganzen Erscheinung“, quod verum esse exempli gratia his locis probatur: Tib. I, 4. 49, III, 5. 4, Verg. ecl. IX, 40, Ov. am. II, 1. 38, II, 9b. 34.

[1]) Hoc iam Birtius recte monuit in mus. Rhen. vol. 32 p. 396 adnot.

sum 31 sine dubio eleg. auctor imitatus est I, 53/54 cf. p. 21)

Omphale in tantum formae processit honorem,
Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
ut qui pacato statuisset in orbe columnas
tam dura traheret mollia pensa manu.

In verss. insequentibus 77/78

Lydia te tunicas iussit lasciva fluentes
inter lanificas sumere saepe suas

hi versus Ovidiani agnosci possunt:

l. c. 65 nec te Maeonia lascivae more puellae
incingi zona dedecuisse putes?

et 73 inter Ioniacas calathum tenuisse puellas
diceris et dominae pertimuisse minas.

(cf. Ov. a. a. II, 217

ille, fatigata praebendo monstra noverca,
qui meruit caelum, quod prior ipse tulit,
inter Ioniacas calathum tenuisse puellas
creditur et lanas excoluisse rudes.
paruit imperio dominae Tirynthius heros).

Tum in versibus 81/82

quis fore credebat premeret cum iam impiger infans
hydros ingentes vix capiente manu

poeta compilavisse videtur hos versus Ovidii l. c. 21

tene ferunt geminos pressisse tenaciter angues
cum tener in cunis iam Iove dignus eras.

(cf. a. a. I, 187

parvus erat manibusque duos Tirynthius angues
pressit et in cunis iam Iove dignus erat.)

et 85/86 scilicet immanes elisis faucibus hydros
infantem caudis involuisse manum.

Etiam quae poeta in verss. sequentibus 85—86 narrat apud Ovidium invenire potuit (83 = Ov. 95 sqq., 84 = Ov. 67 et 89 sqq., 85 sqq. = Ov. 91 sqq.), sed verba Ovidii in his rebus narrandis non repetivit.

Quamquam consensiones singulae, quae inter Ovidii epistulam et elegiae vss. 61—86 intercedunt, non ita insignes sunt, tamen, si omnes comprehendimus, Ovidii

carmen eleg. auctorem variare studuisse verisimile est, ita tamen, ut argumentum, quod ibi invenerat, liberum in modum tractaret, non modo suo dicendi more plerumque usus, sed etiam discrepans cum Ovidio in verss. 79 sqq.

clava torosa tibi pariter cum pelle iacebat,
quam pede suspenso percutiebat Amor!

Aliter enim Ovidius hanc rem narrat vss. 111 sqq, qui Omphalen Herculis arma induentem facit. Quod igitur apud eleg. auctorem Amor superbiens triumphat de Hercule, idem significare poeta voluit, quod Ovidius his versibus dixit: l. c. IX, 11 sqq.

plus tibi quam Iuno nocuit Venus: illa premendo
sustulit, haec humilis sub pede colla tenet.

Vides hanc discrepantiam non multum valere: eleg. auctor Ovidii narrationem variare studuit.

In artis amatoriae versu III, 748

ut tangat portus fessa carina suos

carina *fessa* appellatur ut in eleg. v. I, 5

inreligata vadis nunquam defessa carina,

apud Ovidium praeterea met. XI, 393, rem. am. 811, trist. I, 10. 20. Sed eleg. auctor hanc appellationem navis fortasse non ex Ovidio sumpsit; priorum poetarum quidam eam creavit.

Exitum autem versus 114 fortasse ex Ovidii a. a. sumpsit; cf.

el. I, 114 et ver non homini, quod fuit ante, redit.
a. a. II, 442 invenit, et lumen, quod fuit ante, redit.

Remedior. amoris versus 340

mollibus est oculis: quod fleat illa refer

aliquam similitudinem exhibet cum versu eleg. II, 13

mollibus ex oculis aliquis tibi procidet humor.[1])

Secundum metamorphoseon versum I, 12

nec circumfuso pendebat in aere tellus
ponderibus librata suis

---

[1]) *Humor* pro lacrimis dictum est ut apud Hor. c. I, 13, 6
humor et in genas furtim labitur.

formatus est versus eleg. I, 144

pendula librato pondus et ipsa tuum.[1])

In v. I, 7 illa rapit iuvenes prima florente iuventa aut Ovidium secutus est eleg. auctor cf. met. X, 196

prima fraudate iuventa

et met. XI, 759 prima nova fata iuventa aut Vergilium cf. Aen. VII, 51

primaque oriens erepta iuventa est

VIII, 181 ora puer prima signans intonsa iuventa

V, 295 Euryalus forma insignis viridique iuventa

VIII, 160 tum mihi prima genas vestibat flore iuventas

VII, 162 ante urbem pueri et primaevo flore iuventus,

quorum versuum omnium exemplum esse videtur Lucr. V, 888

tum demum pueris aevo florente iuventas
occipit et molli vestit lanugine malas

(cf. Verg. Aen. X, 323 tu quoque flaventem prima lanugine malas).

Fortasse primus hanc versus clausulam *flore iuventae* formavit Ennius. Horatius quoque eam suum in usum adhibuit a. p. 115

maturusne senex an adhuc florente iuventa.[2])

---

[1]) Cf. Wagner l. c. p. 42. Primus hunc versum Ovidii attulit Gorallus edit. Amstelodam. p. 155.

[2]) Apud posteriores quoque poetas latinos hic versus exitus saepe invenitur, imprimis in epicediis. Cf.

Val. Flacc. III, 324 solus et a prima fueras spes una iuventa

Sil. Ital. XVI, 405 primaevae flore iuventae, cf. Verg. Aen. VII, 162.

id. I, 376 emicat ante omnis primaevo flore iuventae

Statius silv. I, 2. 276 longe virides sic flore iuventae

(cf. Vollmeri adn. ad hunc versum)

V, 5. 18 quisquis adhuc tenerae signatum flore iuventae

II, 3. 72 hac longum florens animi morumque iuventa

Theb. VII, 301 ac primae genitorem in flore iuventae

Claudian. de consul. Stilich. II, 351

primae signatus flore iuventae

(cf. Hosius, mus. Rhen. 50, p. 294).

Auson. Parentalia XV, 9 Sch. 5

raptus enim laetis et adhuc florentibus annis

(cf. Stat. silv. III, 5. 23 florentibus annis)

met. IX, 749 hos aliquis senior iunctim freta lata volantes
in Maec. I, 45 cum freta Niliacae texerunt lata carinae.

met. XIV, 813 nam memoro memorique animo pia verba notavi
in Maec. 61 sum memor et certe memini
(tum sequitur *nova verba*); cf. Burmann, anth. lat. t. II, p. 720.

Parent. XII, 10. 11 optabas tu me generum florente iuventa
l. c. 15. 5 verum iuventae flore laeto perfrui
vetuit infesta Atropos
l. c. 16. 3 occidis in primae raptus mihi flore iuventae
l. c. 22. 3 ereptus primis aevi florentis in annis.
Imago ipsa graeca est; cf.
Simonid. fgm. 85, 7 θνητῶν δ' ὄφρα τις ἄνθος ἔχῃ πολυήρατον ἥβης
κοῦφον ἔχων θυμὸν πόλλ' ἀτέλεστα τελεῖ
Hom. Il. N. 484 καὶ δ' ἔχει ἥβης ἄνθος, ὅτε κράτος ἐστὶ μέγιστον
h. Cer. 108 κουρήϊον ἄνθος ἔχουσαι.
Flos iuventae nihil aliud est nisi versio vocum ἄνθος ἡλικίης.

Tum saepius invenitur in epigrammatibus sepulcralibus anthologiae Palatinae:
VII, 157 ὁ γὰρ χρόνος ἄνθος ἄριστον ἡλικίης
VII, 334. 11 ἀλλά μοι οὐ γενύων ὑπεδέξατο κούριμον ἄνθος
ἡλικίης ἐρατῆς, οὐ γάμον, οὐ δαΐδας
466 Ἆ δείλ' Ἀντίκλεις, δειλὴ δ' ἐγὼ ἡ τὸν ἐν ἥβης
ἀκμῇ καὶ μοῦνον παῖδα πυρωσαμένη
et in epigrammatibus sepulcralibus latinis: (quorum locos iam collegerat C. Weyman, Studien zu d. carmina latina epigraphica in „Blätter f. d. bayrische Gymnasialschulwesen", 31 [1895] p. 540.)
anthol. lat. epigr. B.
465, 17 et virtute pollens et pulcher flore iuventae
472, 1 hic situs est iuvenis, primo qui flore iuventae
629, 3 at pressus graviter omisi cum flore iuventam
1240, 3 quem mors eripuit prima florente iuventa
547, 3 nomine Alexandria, cui flos vixdum iuventae.

Denique hic est locus communis in scriptis consolatoriis graecis et latinis; cf. Plut. ad. Apollon. 120 A οὗτος δ' ἐπὶ τῆς εὐανθεστάτης ἡλικίας προαπεφοίτησεν ὁλόκληρος ἠίθεος, ζηλωτὸς καὶ περίβλεπτος πᾶσι τοῖς συνήθεσιν αὐτῷ. Apollonii Tyanei epist. 55 (Hercher) μὴ δή σε λυπείτω τῆς γυναικὸς ἡ ἐν ἀκμῇ τῆς ἡλικίας ἀποβολή. Seneca ad Marc. de cons. XX, 1 *mors....... iuvenile aevum, dum meliora sperantur, in flore deducit.*

Hoc exemplo bene illustratur, quae fuerint fata sententiarum a poetis graecis antiquis inventarum.

met. XIV, 849 Romanae conditor urbis
f. II, 684, III, 24.
in Maec. 14 Romanae tu vigil urbis eras
(cf. Wagner l. c. p. 42).

met. XV, 757 et multos meruisse, aliquos egisse triumphos
in Maec. I, 31 maius erat potuisse tamen nec velle triumphos.

met. XV, 750[1] neque enim de Caesaris actis
ullum maius opus quam quod pater exstitit huius.

Hos versus verum fuisse fontem versus eleg. II, 6[2]) et cons. ad Liv. 39

et magnum magni Caesaris illud opus

puto, non locum ab Huebnero Herm. XIII, p. 231 allatum, Ov. ex P. IV, 1. 36

vindicat ut Calamis laudem quos fecit equorum,
ut similis verae vacca Myronis opus:
sic ego pars rerum non ultima, Sexte, tuarum
tutelaeque feror munus opusque tuae.

Sed exitus versus eleg. formatus est ad exemplar Tibulli
v. III, 4. 26 humanum nec videt illud opus
(cf. Ov. ex P. III, 4. 28 iuvissent aliqua forsitan illud opus).

Nunc pergamus ad Ovidii tristia.

Vers. trist. I, 1. 8

candida nec nigra coruna fronte geras

eodem loco exhibet *cornua fronte* atque eleg. v. 116

si quorum in torva cornua fronte rigent.

Sed tristium versus eleg. auctori exemplo fuisse propter temporum rationem non potest, et exstat versus alius Ovidianus elegiae versui, ni fallor, similior:

her. II, 132 ultima praerupta cornua mole rigent
(cf. Wagner. l. c. p. 42).

---

[1]) Hunc versum iam a Burmanno allatum esse postea vidi in Baehrensii notis.

[2]) Cf. Seneca ep. 34. 2 *adsero te mihi, meum opus es.* (locus ab Huebnero l. c. allatus). Versus Ovidii docent, quomodo illud *Caesaris opus* sit intellegendum: quod Augustus Drusum adoptavit, ut C. Caesar Octavianum, et eum filium suum fecit, Drusum poeta Ovidii voce liberum in modum usus Caesaris opus appellat.

Praeterea haec verborum *cornua* et *frons* coniunctio saepius occurrit, ex. gr. apud Hor. c. III, 13. 4

cui frons turgida cornibus

Petron. c. 126 nunc erat a torva summittere cornua fronte.

In tristium carminibus Ovidius saepius optat, ut Caesar diu in terris habitet, sero caelum petat:

II, 57 optavi, peteres caelestia sidera tarde

V, 2. 51 sic habites terras et te desideret aether,
sic ad pacta tibi sidera tardus eas

V, 5. 61 (di tamen) et Caesar dis accessure, sed olim

V, 11. 25 ut adhuc caeli tibi limina claudant
teque velint sine se comprecor esse deum.

Similem in modum optat eleg. in Maec. II auctor in v. 27

vive diu, mi care, senex pete sidera sero!
est opus hoc terris: te quoque velle decet.

Apud Ovidium trist. II, 57 sequuntur hi versus:

parsque fui turbae parva precantis idem;
et pia tura dedi pro te, cumque omnibus unus
ipse quoque adiuvi *publica vota* meis;

cf. trist. V, 11. 27 optat idem *populus*.

In votis igitur quibusdam publicis Romani optabant, ut Augustus longum tempus in terris versaretur et senex demum in caelum ascenderet. Nescio an illa vota fuerint „vota pro valetudine Augusti", quorum in monumento Ancyrano c. 9, 2. 15 mentio fit.[1]) Horum votorum formulam priorum quidam poetarum versibus expressit, qui posteris exemplo fuerunt; cf. praeter Ovidii et eleg. loc. allat.

Lucan. Phars. I, 46 astra petes serus

Hor. c. II, 1. 45 serus in caelum redeas diuque
laetus intersis populo Quirini.

---

[1]) *Vota pro valetudine mea suscipi per consules et sacerdotes quinto quoque anno senatus decrevit. . . . . . Privatim etiam et municipatim universi cives sacrificaverunt semper apud omnia pulvinaria pro valetudine mea.* Cf. Mommsenii commentar. p. 41, C. I. L. I, p. 382, Marquardt-Wissowa, Röm. Staatsverwaltung III^2 p. 266.

Ov. met. XV, 838

nec nisi cum senior similes aequaverit annos
aetherias sedes cognataque sidera tangat.[1])

Tum versui trist. IV, 5. 1

usus amicitiae tecum mihi parvus, ut illam
non aeque posses dissimulare, fuit

similis est eleg. in Maec. I, 9

nec mihi, Maecenas, tecum fuit usus amici.

Sed si hic alter poeta ex altero pendet, propter temporum rationem vix facere possumus, quin Ovidium elegiam in Maec. sibi exemplo sumpsisse hoc loco (et fortasse nonnullis aliis) putemus, si verum est elegias non ita multum post Maecenatis obitum scriptas esse. (Cf. Skutsch. l. c. p. 941 l. 53 sqq.).

---

[1]) Idem votum saepius occurrit:

Stat. silv. I, 1. 105

certus ames terras et quae tibi templa dicamus
ipse colas; nec te caeli iuvet aula, tuosque
laetus huic dono videas dare tura nepotes.

IV, 2. 52 nec magnum properes escendere caelum; cf. v. 57 sqq.

Stat. silv. III, 4. 100

his mihi pro donis, hominum mitissime custos,
si merui, longa dominum renovare iuventa
atque orbi servare velis! hoc sidera mecum,
hoc undae terraeque rogant: eat oro per annos
Iliacos Pyliosque simul. et q. s.

Theb. I, 24 sqq. tuque, o Latiae decus addite famae,

quem nova mature subeuntem exorsa parentis
aeternum sibi Roma cupit........
30 maneas hominum contentus habenis,
undarum terraeque potens, et sidera dones.

Calpurn. IV, 145 hunc precor orbem,

hos, precor, aeternus populos rege! sit tibi caeli
vilis amor coeptamque, pater, ne desere pacem!

Senec. ad Polyb. XII, 5: *di illi deaeque terris diu commodent. acta hic divi Augusti aequet, annos vincat. quamdiu inter mortales erit, nihil ex domo sua mortale esse sentiat. rectorem Romano imperio filium longa fide adprobet et ante illum consortem patris quam successorem adspiciat. sera et nepotibus demum nostris dies nota sit, qua illum gens sua caelo adserat.*

Similem in modum iudicandum erit de similitudine inter epist. ex Ponto II, 3. 37

turpe putas abigi, qui sit miserandus, amicum,
quodque sit infelix, desinere esse tuum

et in Maec. II, 20 nec sibi qui moritur, desinit esse tuus, nisi quis censeat, utrumque versum derivatum esse ex tertio versu prioris cuiusdam poetae, quae sententia eo confirmatur, quod alias quoque similes versuum exitus exstant:

Prop. II, 9. 46 quoniam non licet esse tuum
Ov. her. XXI, 22 credibilis tarda desinit esse mora.

Eodem modo res se habet in his versibus:

in Maec. I, 63 gemmis ornatus et auro
Ov. ex P. III, 4. 103 gemmis radientur et auro;

(cf. Wagner. l. c. p. 42). Adde Verg. Aen. I, 655

et duplicem gemmis auroque coronam
l. c. 728 hic regina gravem gemmis auroque poposcit
implevitque mero pateram
Ovid. am. I, 10. 61 scindentur vestes, gemmae frangentur et aurum
Stat. silv. III. 4. 91 atque auro gemmisque locant.

Maxime autem memorabilis est consensio inter Ov. trist. IV, 4. 30[1])

plus etiam quam me iudice dignus eram

et in Maec. I, 106 Augusto iudice dignus erat;

nam quamquam alias quoque versus inveniuntur, quibus *iudice* eadem vi, immo vel eodem loco, quo in elegiae versu positum est[2]), tamen nullus eorum talis est, ut eum elegiae poetae exemplum fuisse dixeris.

Rursus igitur iudicandum erit Ovidium versus elegiae in Maec. exitum imitatum esse, nisi forte uterque poeta tertium quendam versum (mihi quidem ignotum) repetivit.

[1]) Cf. Iuvenal. sat. VIII, 188

iudice me dignus vera cruce

qui haud scio an haec ex Ovidio deprompserit.

[2]) Cf. Prop. II, 13. 4, Verg. ecl. II, 26, IV, 58. 59, Hor. c. I, 28. 14, Auson. epiced. in patrem XI, 44 Sch.

Neque aliter explicari posse videtur similitudo versuum Ov. ex P. II, 3. 63

quique dolor pectus tetigisset Caesaris alti

et eleg. I, 13

regis eras, Etrusce, genus, tu Caesaris alti[1])

cons. ad Liv. 453.[2])

Ei versus Ibidis et Fastorum Ovidii, qui locis quibusdam elegiarum in Maec. similes sunt, iam supra sub Tibulli, Vergilii, Propertii nominibus allati tractatique sunt. Sed ut facilius oculis comprehendi possint, hic colligantur:

Ibis 244 ~ in Maec. I, 76 ~ Tib. I, 6. 78

fast. I, 13 ~ in Maec. I, 11 ~ Prop. IV, 1. 46

fast. III, 192 ~ in Maec. I, 34 ~ rem. am. 156 ~ Tib. I, 1. 2 ~ am. III, 15. 12

fast. III, 707, VI, 801 ~ in Maec. I, 43 ~ metam. XIV, 824

fast V, 313 ~ in Maec. I, 39 ~ trist. I, 3. 49 ~ Verg. ecl. I, 40, VII, 14.

Ex eis igitur carminibus Ovidii, quae sine dubio ante elegias in Maec. orta sunt, earum auctor multa imitatus et mutuatus est; in eis autem carminibus Ovidii, quae post elegias in Maec. composita sunt, — si recte iudicant Skutschius et Baehrensius poet. lat. min. I, p. 101 —, aut Ovidius nonnulla ex elegiis in Maec. in suum usum more solito convertit, aut, quae inveniuntur consensiones cum eleg. in Maec., eo explicantur, quod „multae locutiones multique orationis flosculi quasi commune bonum a multis tum poetis frequentati sunt".

[1]) Nam sic scribendum est pro codicum lectione *almi*, quod epitheton nunquam Caesaribus datum est, cf. A. Finke, de appellationibus Caesarum honorificis diss. Regimont. 1867. Primus epitheton, quod est *altus*, Caesari tribuisse videtur Horatius c. III, 4. 37.

[2]) Cf. anthol. lat. 851 Riesii

Quae mihi, sancte, dabit grandes expromere laudes
musa tuas? iam pauca canam: tu Caesaris alti
ultus es indignam memorando nomine mortem.

At cur non Horatii carmina cum elegiis in Maec. comparaverim, quin iam dudum miratus sis, non dubito. Sed in his elegiis vestigia lectionis Horatianae desunt. Sane Martinus Hertzius (in Analectis ad carminum Horatianorum historiam III. [ind. Vratislav. 1879] p. 10), quamquam alteram elegiam perlustrantem se nihil invenisse confitetur, quod huc trahi possit, tamen priorem elegiarum Maecenatianarum vel cursim percurrenti Horatii subnasci memoriam dicit. Neque tamen rem ita se habere mihi persuasit. Nam nullus in elegiis inest versus, qui vere Horatii memoriam suscitet. Perlustremus igitur eos versus, quos Hertzius ex Horatio sumptos esse affirmat.

Ac primum quidem Hertzius multum tribuit concentui initiorum horum versuum:

eleg. I, 6[1]) it redit in vastos semper onusta lacus

Hor. ep. I, 7. 55

it redit et narrat Volteium nomine Menam;

nam hoc initium „cum clausula versus insequentis *florente iuventa,* in quam exeat a. p. v. 115

maturusne senex an adhuc florente iuventa,

coniunctum apud quemvis lectorem litteris poeticis quadamtenus imbutum, qualibus poetae Latini carmina sua fere destinaverint, Horatii memoriam suscitare" dicit. Sed supra p. 27 adn. 2 demonstratum est hunc versus exitum pervulgatum fuisse, ut pro certo affirmari nequeat poetam eum ex Horatio sumpsisse. Tutiorem sequimur rationem, si eum aut Vergilium aut Ovidium, quos poetas sine dubio imitatus est, hic secutum esse dicimus. Neque certius est eum versus antecedentis initium *it redit* secundum Horatii exemplum formavisse, quod id apud alios quoque poetas saepius invenitur, qui sine dubio eleg. poetae exemplo fuerunt. Hos locos Hertzius ipse affert: Ov. fast. I, 126, Verg. Aen. VI, 122, Ov. trist. V, 7. 14, [Ov.] epp. XV, 118,

---

[1]) Omittendum non est hanc lectionem sola coniectura in editiones elegiar. invasisse. Codd. omnes praebent *et*, quod fortasse rectum est. Si hoc verum est, consensio omnino nulla est.

met. II, 409. Hi loci addi possunt: Tibull. II, 6. 46, Ov. a. a. I, 93.[1])

Iam argumentationi Hertzianae fundamenta subduximus; nam non nisi consensione versuum eleg. I, 6/7 et Hor. ep. I, 7. 55 et a. p. v. 115 nisus aliis quoque locis eleg. auctorem Horatium imitatum esse dicere ausus est atque ipse non solum addit dubium se haerere in versibus Hor. c. IV, 9. 26 et eleg. I, 9. 10 componendis, sed etiam versus eleg. 13 cum Hor. c. I, 1. 1, III, 29. 1, serm. I, 6. 1, eleg. I, 13. 27 cum Hor. c. III, 8. 17, 29, 27, serm. II, 6. 38 comparans concedit „versus ea forma indutos esse, quae nulla fere ipsius sermonis Horatiani prae se ferat indicia". Quid, quod versus eleg.

I, 62 ~ Hor. c. IV, 1. 10
I, 96 ~ „ c. I, 1. 21
I, 117 ~ „ c. III, 17. 13
I, 119 ~ „ c. II, 16. 30
I, 137 ~ „ c. I, 15. 22

„ne hariolando quidem componere licere" ipse dicit?

Igitur ne uno quidem loco Hertzius eleg. auctorem Horatii memorem fuisse probavit, neque magis ego omnibus Horatii carminibus perlectis ullum locum invenire potui, qui in eleg. versibus resonet.

Neque mirandum est, cum eleg. auctor ceteros poetas aevi Augustei tam multis locis imitatus sit, Horatium eum omnino neglexisse; nam iam dudum constat Horatium tum quidem non inter volgares poetas fuisse.

Elegiarum Maecenatianarum auctor, — ut iam comprehendamus, quod ex comparatione horum carminum cum poetarum Augusteorum operibus facta concludi potest —,

[1]) Hunc lusum verborum poetae latini amavisse videntur;
cf. Verg. Aen. IV, 438 fertque refertque
Ovid. fast. VI, 334 fertque refertque
trist. I, 7. 6 fersque refersque
trist. III, 8. 12 fertque feretque
trist. V, 13. 29 sic ferat ac referat
anthol. lat. 13, 16 R. fertque refertque.

bene novit poetas Augusteos; imprimis Ovidium et Propertium poetarum illius aetatis more imitari studuit, sed ad Tibullum et Vergilium quoque his illis locis allusit. Noli tamen hoc ita intellegere, quasi ego dicam poetam omnibus locis, quos versibus quibusdam aliorum poetarum similes esse vidimus, illos ipsos versus consilio imitatum esse, etsi nonnullis locis id sine dubio fecit, sed diligenti studio et crebra lectione poetarum Augusteorum id eum assecutum esse aio, ut eorum carmina memoria teneret. Ita, cum ipse carmina fingere conabatur, facere non poterat, quin eorum more loquendi, elocutionibus, totis paene versibus uteretur, ut proprio stilo fere careat, id quod poetastris fere accidere solet.

Caput III.

Quid elegiarum auctor prioribus poetis debeat.

Saepius iam antea suspicati sumus auctorem eleg. in Maec. verba poetae cuiusdam nunc deperditi imitatum esse cf. p. 31 sqq. atque fortasse etiam saepius id suspicari debebam (cf. Baehrens poet. lat. min. I, p. 101). Cuius generis iam plura exempla adiungam.

V. 38 cetera mortis erunt
similis est versui Ovidiano
a. a. I, 292 cetera lactis erant,
neque tamen puto poetam illius versus memoriam excitare voluisse; (nam risum lectoris movisset); sed serium alius cuiusdam poetae versum imitatus est, quem Ovidius παρῳδίᾳ in risum deflexit.

Eadem de causa verisimile non est, exemplum versus II, 27
vive diu, mi care, senex pete sidera sero
fuisse Tibull. I, 6. 63[1]) vive diu, mihi dulcis anus,
sed tertius quidam versus fuit, quem Statius quoque imitatus est silv. II, 3. 43
vive diu nostri pignus memorabile voti.

Deinde nisi per versus II, 23
tunc quoque non potero non memor esse tui
et Ov. Ib. 143 tunc quoque cum fuero vacuas dilapsus in auras

---

[1]) Notandum est in eodem Tibulli carmine duos versus sequi, in quibus *propter* post *te* positum est ut in eleg. II. v. 23/24: Tib. I, 6. 57 et 65. Tibullus hanc praepositionis *propter* collocationem praeterea habet in v. I, 7. 25.

Ov. ex P. IV, 1. 17 oblitus potero non tamen esse tui perlucere iudicabis versum quendam, qui utrique poetae exemplo fuit, Ovidio eleg. in Maec. versum exemplo fuisse censendum erit. (Cf. p. 32 sqq.)

Sed aliunde quoque poeta ornamenta carminis sumpsit. In v. II, 20 si dicit eleg. auctor *nec sibi qui moritur,* uti videtur verbis proverbii cuiusdam, quod apud alios quoque poetas resonat:

anthol. lat. I, 408. 8

uni vive tibi, nam moriere tibi.

Ov. trist. III, 4. 3

usibus edocto si quicquam credis amico,
vive tibi et longe nomina magna fuge.
vive tibi, quantumque potes praelustria vita

Tib. I, 1. 26

iam mihi, iam possim contentus vivere parvo

Hor. ep. I, 18. 107 et mihi vivam,
quod superest aevi.

Cf. Seneca, de remediis fortuitorum 13. 9 *„exstinctum fleo filium unicum.“ si fleturus eras morientem et nascentem flesses: nunc mori desiit, tunc coeperat. illi vixeras: vive iam tibi.*

Seneca ep. 48 sensum in contrarium vertit: *alteri vivas oportet, si vis tibi vivere.*

Hoc proverbium latinum formatum esse videtur secundum exemplar proverbii cuiusdam graeci — aut fortasse versus Menandri? —, nam pugnat contra illud proverbium Paulus apostolus clarissimo illo loco epist. ad. Roman. 14. 7 οὐδεὶς γὰρ ἡμῶν ἑαυτῷ ζῇ, καὶ οὐδεὶς ἑαυτῷ ἀποθνήσκει· ἐάν τε γὰρ ζῶμεν, τῷ κυρίῳ ζῶμεν, ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν, τῷ κυρίῳ ἀποθνήσκομεν· ἐάν τε οὖν ζῶμεν ἐάν τε οὖν ἀποθνήσκωμεν, τοῦ κυρίου ἐσμέν.

Sed non modo formam versuum, quos alii poetae composuerant, et id, quod illi versus continebant, in suum usum convertit, sed etiam singulis vocibus aut verborum coniunctionibus exiles versus suos exornare studuit, quas priores poetae creaverant aut primi tali ratione adhibuerant,

id quod ea re probatur, quod alii quoque poetae ex eodem thesauro hauserunt.

Cum eleg. II, 25 volui quod contigit esse

cf. Auson. Parentalia XV, 3 Sch. v. 5, 6

omnia quae voluit, qui prospera vidit, eidem
optavit quidquid, contigit ut voluit.

Veterem esse hanc sententiam probatur hoc loco:

Xenoph. instit. Cyri VIII, 7. 6 (sunt autem ultima verba Cyri moribundi) καὶ οὔτ' ἐπιχειρήσας οὔτ' ἐπιθυμήσας οἶδα ὅτου ἠτύχησα.

Tum cum v. I, 22 diluis hoc nimia simplicitate tua

cf. Laud. Pisonis 43 seu capitale nefas operosa diluis arte.

Conticuere in quarto et quinto pede positum est el. I, 52; item Ov. f. IV, 420, VI, 348, ex P. II, 5. 48; tota clausula (*conticuere tubae*) repetitur Mart. VII, 80.[1]) *Nocuere* in quarto et quinto pede positum est eleg. I, 25. 26, item Ov. trist. I, 9. 60, trist. III, 3. 79, trist. III, 14. 6.

---

[1]) Fortasse Martialis elegiae versum imitatus est, ut alios versus sine dubio imitatus est; cf. eleg. I, 103 ~ Mart. I, 78. 9. 10 ~ V, 19. 15. — In eiusdem carminis (V, 19) versu 4 legitur *Martia Roma*, quod elegiarum auctor dixit in cons. ad Liv. v. 246. Cf. praeterea

in Maec. I, 132 ~ Mart. VIII, 11, 5
" " 60 ~ Mart. Sp. 8
" " 103 ~ Mart. I, 78. 10.

Tum cf. cons. ad Liv. 130 ~ Mart. II, 91. 1. 2, Seneca epigr. 24, 2—4.
" " " 19 ~ " III, 46. 10, Prop. I, 5. 14.
" " " 267 ~ " VI, 64. 25, Hor. s. II, 1. 46.
" " " 202 ~ " VIII, 50, Ov. F. IV, 293, qui consolationem imitatus est.
" " " 289 ~ " VIII, 75. 11.
" " " 132 ~ " IX, 55. 5.
" " " 243 ~ " IX, 76, 6, Prop. III, 5, 44, Ov. M. X, 314, Ib. 240.
" " " 338 ~ " IX, 20. Ov. tr. II, 118.
" " " 459 ~ " IX, 35.6, Tib. I, 7. 7, Verg. Ecl. 8, 13.

Cf. Friedlaenderi edit. Martialis.

Eleg. II, 1 poeta mortem dicit *fatum veniens*[1]), quam appellationem non ipse invenit; cf.

Ov. met. VII, 60. 5

morte fugant, ultroque vocant venientia fata

l. c. 799 non tamen insidias venturaque vincere fata

cf. fast. VI, 535; met. XV, 557

nunc, ait, o vates, venientia fata resigna.

Antiquiore quadam verborum coniunctione usus est in v. 139 Nestoris annosi vicisses saecula;

cf. Plaut. Epid. 177

quia licitumst eam (uxorem) tibi vivendo vincere

Lucr. I, 202[2]) (homines, qui possent)

multaque vivendo vitalia vincere saecla

Lucr. III, 948 omnia si pergas vivendo vincere saecla

[Verg.] cat. 9. 16 Pylium vincere digna senem

Verg. georg. II, 295

multa virum volvens durando saecula vincit

Verg. Aen. XI, 160 vivendo vici mea fata

Serv. ad hunc locum: *id est supervixi: veteres enim vivendo vincere dicebant supervivere, ut Georg. II* (295).

Sen. ad Polyb. XII, 5 *acta hic divi Augusti aequet, annos vincat.*

Stat. silv. II, 3. 72

hac longum florens animi morumque iuventa
Iliacos aequare senes et vincere persta

Stat. silv. I, 4. 125 alio modo idem dixit:

tu Troica dignus
saecula et Euboici transcendere pulveris annos
Nestoreosque situs

l. c. V, 3. 254

sed me pietas numerare dolorque
non sinit, o Pylias aevi transcendere metas
et Teucros aequare senes o digne videre (me similem)

Sen. ludus de morte Claudii IV, 14

vincunt Tithoni vincunt et Nestoris annos.

---

[1]) *Veniens* vel *venturus* saepius pro *futurus* dicitur: Hor. c. III, 5. 16. Verg. VI, 66. 889, sententiae Turicenses 674 Ribb.

[2]) Cf. adnotat. Munroi ad Lucr. I, 202, R. Heinzii ad Lucr. III, 948.

Porro demonstrari potest eleg. auctorem etiam carmina poetarum Graecorum Alexandrinorum, qui vocantur, aut, si hoc concedere nolis, illorum Romanorum, qui ea imitati sunt, poetas neotericos dico, non ignorasse.

Neque enim ex suo ingenio sumpsit aquilam, qui Ganymedem rapit, puerum *unguibus mollibus* pressisse (v. 92), sed ex carmine alius poetae, fortasse graeci aut neoterici cuiusdam latini; idem enim invenitur apud poetas Alexandrinos vel eorum imitatores:

anth. Pal. XII, 67. 3

αἰετέ, τὸν χαρίεντα ποτὶ πτερὰ πυκνὰ τινάξας
πῶς ἔφερες; μήπου κνίσματ' ὄνυξιν ἔχει.

Strato, ibid. 221

στεῖχε πρὸς αἰθέρα δῖον, ἀπέρχεο παῖδα κομίζων,
αἰετέ, τὰς διφυεῖς ἐκπετάσας πτερύγας.

v. 5 φείδεο δ'αἰμάξαι κοῦρον γαμψώνυχι ταρσῷ.

Nonn. Dionys. 25. 430

ταρβαλέος δ'ἐτέτυκτο δι'αἰθέρος ἱπτάμενος Ζεὺς
ἀδρύπτοις ὀνύχεσσι τεθηπότα κοῦρον ἀείρων.

XV, 280

καὶ Διὸς οἰνοχόος πέλε βουκόλος, ὃν διὰ κάλλος
φειδομένοις ὀνύχεσσιν ἐκούφισεν ὑψιπέτης Ζεύς.

Germanic. Aratea 318

habet miracula nulla
si caelum ascendit Iovis armiger arduus; hic nam
unguibus innocuis Phrygium rapuit Ganymeden

(apud Aratum hoc non legitur).

Martial. I, 6

aetherias aquila portante per auras
inlaesum timidis unguibus haesit onus.

Plin. n. h. XXXIV, 79. *aquilam . . . . parcentem unguibus etiam per vestem puero.*

Cf. Friedlaenderi adnot. ad Mart. l. l.

Exstitit igitur alicubi descriptio Ganymedis rapti a poeta quodam Graeco, ut videtur, ficta, exhibens subtilitatem elegantem illam, quae postea multis poetis exemplo fuit. In sermonem latinum translata est ab aliquo ex poetis neotericis, qui vocantur.

Tum imaginem hirundinis eleg. auctor coloribus Alexandrinis pingit. In v. 102 poeta dicit: (hirundo)

verberat egelidos[1]) garrula vere lacus.

Hoc idem invenitur apud Aratum v. 942 sqq.

Πολλάκι λιμναῖαι ἢ εἰναλίαι ὄρνιθες
ἄπλητον κλύζονται ἐνιέμεναι ὑδάτεσσιν.
ἢ λιμνὴν πέρι δηθὰ χελιδόνες ἀΐσσονται
γαστέρι τύπτουσαι αὔτως εἱλευμένον ὕδωρ,

quem locum in latinum sermonem Varro Atacinus transtulit, cuius versus Vergilius georg. I, 374 sqq. imitatus est (cf. Servium ad l. c.)[2]).

Neque tamen Varronem aut Vergilium auctori eleg. in Maec. hic exemplo fuisse putaverim; sed tertium quoddam carmen exstitisse videtur, in quo Arati verba accuratius translata erant quam apud Varronem et Vergilium; nam neque Varro neque Vergilius Arati illum versum γαστέρι τύπτουσαι αὔτως εἱλεύμενον ὕδωρ expresserunt. Ex illo carmine nunc amisso eleg. auctor non modo rem ipsam, sed etiam verba sumpsisse videtur; nam *garrula hirundo* praeterea invenitur apud Verg. georg. IV, 306 (ante)

garrula quam tignis nidum suspendat hirundo,

qui ipse quoque hic illo carmine usus esse videtur.[3])

Sed ne alterum quidem versum, quo poeta narrat, quid hirundo hieme faciat, ipse invenit,

v. 101 conglaciantur aquae: scopulis se condit hirundo.

Cf. Plin. n. h. X, 24. *abeunt et hirundines hibernis mensibus — sed in vicina abeunt, apricos secutae montium re-*

---

[1]) Recte Baehrensius sic scripsit: cf. εἱλεύμενον ὕδωρ Arati.

[2]) Alio modo hoc idem Vergilius dixit in versibus Aen. XII, 475 sqq. V. 474 exemplo fuit versibus anthol. lat. 13, 1. 2 Riesii; cf. Plin. nat. hist. XVIII, 35 ubi pluviae imminentis signa describit: *hirundo tam iuxta aquam volitans, ut penna saepe percutiat*, (locus a Gorallo l. c. p. 143 allatus). Hirundo praenuntia veris est; cf. praeter locos iam allatos Aristoph. pac. 800 et Kiesslingii adnot. ad Hor. c. IV, 12. 5.

[3]) Illo carmine Verg. fortasse usus est in georg. I, 374 sqq. Fueritne hoc carmen Galli Philomela? Cf. Skutschii librum Aus Vergils Frühzeit p. 33 sqq., 97.

cessus; inventaeque iam sunt ibi nudae atque deplumes (locus a Gorallo allatus l. c. p. 142). Praeterea conferas quaeso Ovid. fast. I, 157, ubi ver describit:

tum blandi soles, ignotaque prodit hirundo
et luteum celsa sub trabe figit opus.

Etiam imago tauri, quae in versibus antecedentibus describitur I, 99/100

lux est: taurus arat; nox est: requiescit, arator
liberat et merito fervida colla bovi

ex poesi Alexandrina ad Romanos pervenit. Quamquam testimonium graecum mihi nunc praesto non est, tamen similia inveniuntur apud poetas Augusteos, qui Alexandrinorum discipuli fuerunt:

Hor. epod. II, 63. 64 videre fessos vomerem inversum boves
collo trahentis languido

carm. III, 6. 41 sol ubi montium
mutaret umbras et iuga demeret
bobus fatigatis

cf. c. III, 13. 11

(Verg. georg. II, 542 et iam tempus equum fumantia solvere colla).

Exemplum poetarum Alexandrinorum fuit Homeri descriptio βουλυτοῦ Od. ν 31

ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ δόρποιο λιλαίεται, ᾧ τε πανῆμαρ
νειὸν ἀν' ἕλκητον βόε οἴνοπε πηκτὸν ἄροτρον.

Tum victorem in verss. antecedentibus 93 sqq. Alexandrinorum coloribus pingit, et fortasse ei in his versibus componendis (cf. imprimis 96 membra nec in strata sternere discat humo) Lucr. versus II, 28 sqq.

nec citharae reboant laqueata aurataque tecta
cum tamen inter se prostrati in gramine molli
propter aquae rivum sub ramis arboris altae
non magnis opibus iucunde corpora curant

ob animum versati sunt. Cf. Hor. c. I, 1. 21

nunc viridi membra sub arbuto stratus

culex 67 at pectore puro
saepe super tenero prosternit gramine corpus,
florida cum tellus gemmantes picta per herbas
vere notat dulci distincta coloribus arva.

Neque minus in vss. 34 sqq.[1])

> Maluit umbrosam quercum lymphasque cadentes
> paucaque pomosi iugera culta soli.
> Pieridas Phoebumque colens in mollibus hortis
> sederat argutas garrulus inter aves

Maecenatem poetam in Alexandrinorum poetarum modum depingit: poeta sub umbra arboris rivo praeterfluente cantat ut apud Theocritum pastores canentes: Theocr. III, 38, VIII, 78, V, 31 sqq., VII, 132, Verg. ecl. I, 1

> Tityre, tu, patulae recubans sub tegmine fagi
> silvestrem tenui musam meditaris avena

Philetas apud Athen. V, p. 192e = Bach, fr. 21

> θρήσασθαι δὲ πλατάνῳ γαίῃ ὕπο

Aristaen. I, 10, Prop. I, 18. 21, Hor. c. I, 32. 1.[2])

Tum has easdem res, umbram et praetereuntem aquam, poetae componunt, cum summam vitae commoditatem et iucunditatem efferunt. Cf. Tibull. I, 1. 27, Hor. c. II, 11. 13. sqq., c. I, 1. 19, II, 3. 8, ep. II, 23, sat. 6. 1.

In verss. 81/82[3])

> Quis fore credebat, premeret[4]) cum iam impiger infans
> hydros ingentes vix capiente manu

poeta Herculem angues manu vix sufficiente prementem facit. Fortasse hoc eleg. auctor non invenit, sed ex prioris cuiusdam poetae carmine sumpsit; nam fere idem invenitur in anthol. lat. Riesii 881, 57

> corripis (sc. Hercules) exiguis mox grandia guttura palmis
> et quamvis teneri cogens in bracchia pondus
> corporis impressos linquens tellure dracones.

Hoc quoque sine dubio primitus Alexandrinum est (cf. Callim. fgm. 52) quod poeta Hesperon et Luciferum eandem stellam esse dicit in vss. 129 sqq.; primus inter

---

[1]) De versu 35 cf. p. 14 et adn. 1.

[2]) Cf. Rothsteinii adnotationem ad Propertii locum allatum et E. Rohde, Roman.[1] p. 158 adn. 1.

[3]) Cf. p. 24 sqq.

[4]) *Manu premere* legitur in his eiusdem fabulae narrationibus: Verg. Aen. VIII, 288 ~ Stat. silv. III, 1. 47, Claud. rapt. Proserp. praef. 29. Cf. p. 25.

poetas latinos Helvius Cinna hoc a Graecis accepisse videtur, fgm. 8 Baehrens

> te matutinus flentem conspexit Eous
> et flentem paulo vidit post Hesperus idem.

Cf. Serv. ad Verg. Georg. I, 288, Catull 62, 35 et interpretes, Ov. her. XVIII. (XVII) 111 sqq., Seneca, ludus de morte Claudii c. IV, v. 25 sqq.

Tum versus 19/20[1])

> vincit vulgares, vincit beryllus harenas
> litore in extremo, quas simul unda movet[2])

Alexandrinos resipiunt; cf.

Tib. III, 8. 19. 20

> et quascumque niger rubro de litore gemmas
> proximus eois colligit Indus aquis.

Ov. a. a. III, 124, 129/130, Prop. I, 2. 13, Lucr. II, 374, Ov. am. II, 11. 13.

Videmus igitur in elegiis in Maec. multa inesse, quae originem ex Alexandrinorum poetarum carminibus duxerint, et siquis litterarum Alexandrinorum peritior est quam ego sine dubio etiam plura eiusmodi in his elegiis inveniet[3]), ut ex gr. poeta in Bacchi triumpho describendo nonnullorum poetarum graecorum carmina in suum usum convertere potuit: Theolythi *Βακχικὰ ἔπη*, Neoptolemi *Διονυσιάδα*, Eu-

---

[1]) Fortasse non sine consilio poeta Maecenatem cum beryllo comparat, nam sciebat sine dubio Maecenatem gemmarum studiosum fuisse, ut Augustus Maecenati illudens eum appellaverit in epistula illa (Macrob. Saturn. II, 4. 12) *beryllum Porsennae*; cf. Maecenatis carmen apud Harderum, Fragmente des Maec. p. 19/20.

[2]) Gorallus ad hunc versum adnotat: „*vomit* (quod codd. omnes praebent) falsam parit sententiam; neque enim mare, instar succini, vomit beryllos, sed tantum abluit eos, qui in litore sunt inter arenas." Affert praeterea Dionys. Perieget. 1011

> ναὶ μὴν καὶ χρυσοῖο φέρει χαριέστερον ἄλλο,
> ὑγρῆς βηρύλλου γλαυκὴν λίθον, ἣ περὶ χῶρον
> φύεται ἐν προβολῇς, ὀφιήτιδος ἔνδοθι πέτρης.

[3]) Nonnulla iam supra allata sunt: p. 14 adn. 1, p. 22 adn. 1. Atque ego omnino non hoc spectavi, ut hanc rem absolverem, sed ea tantum collegi, quae forte mihi occurrebant.

phorionis Διόνυσον[1]); apud poetas Augusteos Bacchi triumphi saepius mentio fit, ex gr. Ov. am. I, 2. 19—52, a. a. I, 177 sq., ex P. IV, 8, fast. III, 465, fast. III, 719, met. IV, 20, Prop. III, 17. 21.

Probari autem vix potest eum Alexandrinorum ipsorum carminibus usum esse, sed verisimilius est eum etiam in his rebus e poetis latinis pendere.

Sed poetam eleg. non modo hinc illinc ex pratis poeseos singulos flores decerpsisse puto, sed, nisi fallor, carmina sua, imprimis alterum, in gravissimis rebus ad exemplar certi cuiusdam consolatorii carminis finxit, si non Graeci — quod ne ego quidem crediderim —, at latini, cuius auctor poetarum Alexandrinorum vestigia secutus erat; nam satis multa carmina consolatoria graeca exstabant, velut Parthenii ἐπικήδειον Ἀρήτης.[2])

Quae carmina nunc quidem deperdita sunt, possunt tamen quadamtenus epigrammatum sepulcralium et epicediorum latinorum auxilio restitui. Neque enim dubitari potest, quin poetae in elegiis consolatoriis componendis formulis et sententiis epigrammatum sepulcralium usi sint, in quae invicem ex elegiis haud pauca illata sunt. Eadem ratio intercedit inter epigrammata sepulcralia latina, quae magnam partem ad exemplar epigrammatum graecorum formata sunt, et poetas latinos, imprimis elegiacos, qui ipsi quoque et poetis et epigrammatibus graecis multa debent.

Quae cum ita sint, si in elegiis in Maec. nonnulla inveniuntur, quae in epigrammatibus sepulcralibus latinis et graecis redeunt, ea sine dubitatione carminibus consolatoriis antiquiorum poetarum, immo poetarum Graecorum tribui possunt.[3])

Imprimis in altera elegia inveniuntur, quae in epigrammatibus sepulcralibus redeant. Poeta Maecenatem mori-

---

[1]) Cf. Rohde, Griech. Roman [1], p. 131 adn. 2, p. 108 adn.

[2]) Multa exempla carminum eius generis graecorum affert collega meus F. Mallet in Quaestionibus Propertianis (diss. Gotting. 1882) p. 57, 65, 66.

[3]) Cf. Mallet l. c. p. 58, et adn. 2.

turum verba extrema loquentem facit. Hanc formam[1]) carminis ipsam ad exemplum epicedii cuiusdam poetae Alexandrini aut latini effinxisse videtur. Nam sine dubio talia carmina graeca exstiterunt; ex tali elegia hi versus Philetae (apud Stob. flor. 124, 10. IV, p. 129 Meineke) sumpti esse videntur:

ἐκ θυμοῦ κλαῦσαί με τὰ μέτρια καί τι προςηνὲς
εἰπεῖν, μεμνῆσθαι τ'οὐκ ἔτ' ἐόντος ὅμως

(cf. el. II, 16. 17).

Quantum equidem sciam, nulla eiusmodi elegia graeca servata est; in epigramm. sepulcralibus haec forma saepius occurrit, cf. anth. Pal. VII, 106. 646. 647. 648. 731. 735. Casu factum est, ut etiam apud Romanos praeter eleg. II. in Maec. nullum carmen exstet, in quo poeta id solum spectet, ut morientem quendam loquentem faciat; simile aliquid Prop. IV, 11 praebet. Saepius talia, ut apud Theocritum I, 113—135, in carmina longiora inserta sunt; cf. ex. gr. anthol. lat. 15, 114 sqq. Riesii, Stat. silv. V, 1. 117 sqq.

Nunc iam singulos elegiar. in Maec. τόπους tractabo[2]):

1) mortuus a deis egregia indole praeditus erat:

I, 17 Pallade cum docta Phoebus donaverat artes:
tu decus et laudes huius et huius eras.

cf. epigr. graeca 560, 3 (Kaibel)

μορφᾶς ᾇ πρωτεῖον ἔχειν δωρήσατο Κύπρις,
ἔργα δ' Ἀθηναία τερπνὰ σαοφροσύνας,
Μοῦσα δὲ καὶ σοφίαν καὶ πακτίδα τὰν φιλέραστον,
συμφωνίαν ἐρατοῖς μειξαμένη μέλεσιν.

268, 3 εἶδος μὲν παρόμοιος ἔφυς Ἥρης βασιλείης,
ἔργα δ' Ἀθηναίης Πιερίδας τ' ἐδάης.

---

[1]) Dubitari vix potest, quin ad hanc formam excolendam Platonis Phaedo multum contulerit; ex. gr. Xenopho eum imitatus est in instit. Cyri VIII, 7. 6—28. — Cur primitus homines extrema morientium verba tanti fecerint, explicat Rohde, Psyche I², p. 55 adn. 1.

[2]) Nonnulla supra iam allata sunt. Cf. p. 17 adn. 1, p. 27 adn. 2.

anthol. lat. epigr. 995. 5 sqq. B.

cui formam Paphie, Charites tribuere decorem,
quam Pallas cunctis artibus erudiit.

Prop. I, 2. 27

cum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet
Aoniamque libens Calliopea lyram.

2) mortuus annos ingenio vel moribus superavit.

V. 5 pectore maturo fuerat puer.

Similem in modum poeta iam in consolatione ad Liv. dixerat 447: quid numeras annos? vixi maturior annis.

285/86 quam parvo numeros implevit principis aevo
in patriam meritis occubuitque senex.

339 vix credent tantum rerum cepisse tot annos,
magna viri latum quaerere facta locum.

Simile quiddam invenitur iam apud Pindarum, Pyth. 4, 281

κεῖνος γὰρ ἐν παισὶν νέος,
ἐν δὲ βούλαις πρέσβυς ἐγκύρσαις
ἑκατονταετεῖ βιοτᾷ

et saepe in epigrammatibus sepulcralibus Graecorum. Cf. ex. gr.

P. Cavvadias, fouilles d'Epidaure I, Athènes 1893, p. 67 sqq. num. 205—211 (ψήφισμα παραμυθητικόν[1]))

l. 10 ταῖς τᾶς ψυχᾶς ἀρεταῖς ὑπερβάλλων τὸ τᾶς ἁλικίας μέτρον.

l. 22 ὑπερβάλλοντα τὸ τᾶς ἁλικίας μέτρον τᾷ τοῦ βίου καλοκαγαθίᾳ.

Ἐφημ. ἀρχαιολ. 1883, 81

γηραλέην ψυχὴν ἐπ' ἀκμαίῳ σώματι Γλαῦκος
καὶ κάλλει κεράσας κρείττονα σωφροσύνην.

A. P. VII, 603. VIII, 152.

A Graecis Romani hanc sententiam mutuati sunt: anthol. lat. epigr. B.

649. 7 ultra annos saepiens praeceps fata invida raptum

1057. 12 mente senes, aevo sed periere brevi.

---

[1]) Cf. C. Buresch, mus. Rhen. 49 (1894) p. 456.

1581. 8 hic tamen in biennio vixit quasi qui vixisset sedecim annos.

anthol. lat. R. 354. 3 (epitaphion Olympii). 345. 7 (epitaphion de filia Oageis infantula).

Tum vero is locus communis et apud poetas latinos invenitur, cf.

Ov. a. a. I, 181 sqq.

ultor adest: primisque ducem profitetur in annis
bellaque non puero tractat agenda puer.
parcite natales timidi narrare deorum:
Caesaribus virtus contigit ante diem,
ingenium caeleste suis velocius annis
surgit et ignavae fert mala damna morae.

De Druso Germanico iuniore Ovidius idem dicit

ex P. II, 2. 71 praeterit ipse suos animo Germanicus annos

Stat. silv. II, 6. 49 teneroque animus maturior aevo

II, 1. 40 et pudor et tenero probitas maturior aevo,

ad quem locum Vollmerus multa similia affert, quae non repeto. Adde Stat. Theb. I, 414 et hos locos Ausonii: Parent. XV, 16. 12 Sch. epitaph. 34, 6. epiced. in patrem XI, 39/40.

Etiam rhetores graeci et latini hoc loco communi usi sunt: cf. Plut. ad Apoll. 111 B τὸ γὰρ καλὸν οὐκ ἐν μήκει χρόνου θετέον, ἀλλ' ἐν ἀρετῇ. D μέτρον γὰρ τοῦ βίου τὸ καλόν, οὐ τὸ τοῦ χρόνου μῆκος (attulit Skutschius l. c.).

Libanii epitaph. ἐπ' Ἰουλιανῷ I, 623. 5 Reiske: δεύτερον ἕτερον λογιζώμεθα πρὸς ἡμᾶς αὐτούς, ὡς εἰ καὶ νέος ἀπῆλθεν, ἀλλὰ πᾶν γῆρας βασιλέων νικήσας ταῖς πράξεσι. τίνος γὰρ οὕτω πολλὰ καὶ μεγάλα μνημονεύει τις τριπλάσιον βεβιωκότος χρόνον;

Arist. εἰς Ἐτεωνέα ἐπικήδ. I, p. 129 Dind.: ὦ πάντα σὺ κάλλιστε παίδων, ὦ τῆς μὲν προσηκούσης ἡλικίας οὐκ ἐπιλαβόμενος, τῆς δ' ὑπαρχούσης σεμνότερος καὶ πρεσβύτερος φανείς.

Choric. Gaz. I. ἐπιταφ. Προκοπίου p. 4. l. 5 Boissonade: Οὐ μὴν τὸ βραχὺ τῆς ἡλικίας εὐκαταφρόνητον ὑπῆρχε τοῖς φοιτηταῖς, ἀλλὰ τὸν νέον ὡς πρεσβύτην ᾐσχύνοντο, τὴν ἐπιστήμην αἰδούμενοι.

Boissonade et ad hunc locum et in Anecd. nov. p. 260. 397 multa similia contulit.

Gregor. Nyss. in laudem fratris Basilii (Migne tom. 46) 789 B τὸν τοῖς ἤθεσι πολιὸν ἐκ νεότητος.

Eiusdem orat. consolator. in funere Pulcheriae, Migne p. 865 τὴν ἄρτι μὲν πτερουμένην ἐν λαμπρῷ τῷ πτερῷ, ὑπερβᾶσαν δὲ τὴν ἡλικίαν ταῖς χάρισιν.

Quintil. declam. IV, 11. Sen. ad. Marc. 23, 3. 24, 1. Plin. ep. V, 16, 2 (loci a Vollmero et Skutschio allati).

Ambros. de obitu Valentiniani consolatio (Migne t. 16) p. 1359 *duo pariter acerbant dolorem, annorum immaturitas et consiliorum senectus*; p. 1373 *esto tamen: dolendum sit, quod primaeva obierit aetate; gratulandum tamen, quod virtutum stipendiis veteranus decesserit.*

3) „Sit tibi terra levis."

I, 141 tellus, levis ossa teneto,
pendula librato pondus et ipsa tuum

et II, 15 iaceam tellure sub aequa

idem est atque *sit mihi (tibi) terra levis*, quae formula poetae nimis decantata et vulgaris visa est, itaque magis quaesitum in modum locutus est, Ovidianis verbis usus. Cf. supra p. 27.[1]) Illam formulam Romani a Graecis mutuati sunt: Eur. Alc. 477

κοῦφά σοι χθὼν ἐπάνωθε πέσοι.

Epigramm. graeca Kaibel 103, 9. 195, 4. 430, 13. 538, 7. 531a, 4. 559, 3. 569, 5. 700, 5 I. Gr. Sic. 329 I. gr. Mar. Aeg. I, 151. 3, 4. Eam formulam poetae Alexandrini et eorum imitatores, ut eleg. auctor, multis modis variare student.

A. P. VII, 321, 7

ἀνθ' ὧν σὺ (sc. γαῖα φίλη) πρηεῖα κατὰ κροτάφου πολιοῖο κεῖσο.

372, 6 κείνῳ μὴ βαρὺς ἔσσο τάφος

460, 3 Callimachi γαῖα φίλη,
Μικύλος εἴ τι πονηρὸς ἐπῄνεσα μήτε σὺ κούφη
γίνεο μήτ' ἄλλοι δαίμονες, οἵ μ' ἔχετε.

---

[1]) Cf. Rohde, Psyche II² p. 381, adnot. 3: „Das wahre Motiv solcher Wünsche bei Lucian, de luctu 48 angedeutet; der Tote zum klagenden Vater: δέδιας μή σοι ἀποπνιγῶ κατακλεισθεὶς ἐν τῷ μνήματι."

461 Meleagri παμμῆτορ γῆ χαῖρε· σὺ τὸν πάρος οὐ βαρὺν εἰς σὲ
Αἰσιγένην καὐτὴ νῦν ἐπέχοις ἀβαρής.

470, 7 eiusdem λάβοι νῦν σε βῶλος ἐλαφρὴ
σύμφωνον πινυτῷ σχόντα λόγῳ βίοτον.

Cf. praeterea 476, 9. 10. Meleagri 554, 5. 628, 7. 8. 632, 9. 10. 658, 3. 4.

Apud Romanos cf. ex. gr. Ovid. am. III, 9. 67/68
ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna,
et sit humus cineri non onerosa tuo

Prop. I, 17. 24 ut mihi non ullo pondere terra foret

Tib. II, 4. 50 terraque securae sit super ossa levis

Epigr. lat. epigr. B. 479, 9. 1242, 1. 2. Auson. prof. Burdig. commem. VIII, 17. Sed cum illi simplicitate pulchra id, quod sentiunt aut quod se sentire fingunt, aperiant et proloquantur, hic magno tumore loquitur.

4) Superstites mortuis nihil iam nisi usitata praestare possunt.

I, 141 nunc ego quid possum?

Cf. carm. epigr. 270, 2 B. et tibi quod potui lacrimas haec maesta profudi.

1313, 5. 1536, 1. 2. 1841, 1. 2.

Ov. fast. V, 472 quod potuit, lacrimas manibus ille dedit.

Cf. Cat. 68, 149. Iuv. VI, 128. (Hor. c. III, 11. 30.)

5) Superstites sepulcrum floribus ornant.[1])

Eleg. I, 143 semper serta tibi dabimus, tibi semper odores.

Epigr. gr. K. 73 Ἀνθεμίδος τόδε σῆμα κύκλῳ στεφανοῦσιν ἑταῖροι
μνημείων, ἀρετῆς οὕνεκα καὶ φιλίας.

A. P. VII, 36. 321, 8. 9. Tib. II, 6. 32. Ov. trist. III, 3. 82.

Prop. III, 16. 23 afferet haec unguenta mihi sertisque sepulcrum ornabit

IV, 7. 33. Tib. II, 4. 48. Stat. silv. III, 3. 211. Iuv. VII, 207.[2])

---

[1]) Cf. Rohde, Psyche I² p. 220 adnot. 2. — II² p. 250 adnot. 2. p. 338 adnot. 1.

[2]) Cf. Vollmeri adn. ad Stat. silv. III, 3. 211 et Rothsteinii adnot. ad Prop. I, 17. 21.

6) Propinquorum praesentia morientibus magno solacio est, eorum absentia luctui.

II, 9 moriens quaerebat amatae
coniugis amplexus, oscula, verba, manus.

Eodem argumento poeta in consolatione ad Liviam 95—99 usus erat, ubi ut hic
amplexus (affigique suis moriens tua pectora sensit),
oscula (95 at miseranda parens suprema neque oscula legit),
manus (93 lumina caerulea iam iamque natantia morte,)
lumina fraternas iam subitura manus)

inveniuntur, quae res a poetis in morte describenda fere semper enumerantur; cf. ex gr. Ov. am. III, 9. 49, her. X, 119. 120. Permulta alia exempla collegit Vollmerus ad Stat. silv. II, 1. 148, praeterea Skutschius l. c. affert: Plut. ad Apoll. 117 B.[1]) Sen. cons. ad Marciam 3. Quint. inst. VI, prooem. 11. — Cf. anthol. lat. epigr. B. 10. 30, epigr. gr. K. 314, 24.[2]) 327, 1.

7) Moriens (vel mortuus) propinquos rogat, ne lugeant mortem suam.[3])

II, 16 nec tamen hoc ultra te doluisse velim.
Hom. Il. XXIV, 128—130. 549—51
ἄνσχεο μηδ᾽ ἀλίαστον ὀδύρεο σὸν κατὰ θυμόν.
οὐ γάρ τι πρήξεις ἀκαχήμενος υἷος ἑῆος
οὐδέ μιν ἀνστήσεις, πρὶν καὶ κακὸν ἄλλο πάθησθα.

Cf. Philetae versus supra p. 47 exscriptos, praeterea Socrat. ap. Stob. floril. IV, p. 98. Mein. χρὴ ψυχὴν λιπεῖν μηδ᾽ ἀνιάζειν δακρύοις καὶ θρήνοις· τὸ δὲ χρεὼν ἀνδρὸς ἀγαθοῦ φέρειν.

Euphor. ap. Stob. floril. IV, p. 130 Mein.
τῷ καὶ μέτρια μέν τις ἐπὶ φθιμένῳ ἀκάχοιτο,
μέτρια καὶ κλαύσειεν, ἐπεὶ καὶ πάμπαν ἄδακρυν
μοῖραι ἐπημήναντο.

---

[1]) Cf. Rohde, Psyche I² p. 218 adn. 1.

[2]) Cf. Rohde, Psyche I² p. 23 adn. 1.

[3]) Cur mortui hoc optent, explanavit Rohde, Psyche I² p. 223 adn. 2. Locis ibi allatis adde Plat. apol. Socrat. p. 117 d.

Epigr. graeca K. 120. 151, 11. 264, 10. 266, 3. 282. 292, 5. 298, 5. 320. 344, 15. 345, 3. 372, 9. 372, 37. 624, 9. Rohde, Psyche I² p. 382 adn. 3. A. P. VII, 308, 3. 4. 335, 5. 6. 481, 3. 667

τίπτε μάτην γοόωντες ἐμῷ παραμίμνετε τύμβῳ;
οὐδὲν ἔχω θρήνων ἄξιον ἐν φθιμένοις
λῆγε γόων καὶ παῦε, πόσις, καὶ παῖδες ἐμεῖο
χαίρετε, καὶ μνήμην σώζετ' Ἀμαζονίης. (Cf. el. II, 17.)

Tum idem apud Romanos occurrit in epigrammatibus sepulcralibus anthol. lat. epigr. 59, 12 sqq. B.

pater mei et genetrix germana, oro atque obsecro,
desinite luctu, questu lacrumas fundere

81, 3. 389, 6.

et apud poetas[1]: Ennius apud Cic. de senect. XX, 73

nemo me lacrumis decoret.

Tib. I, 1, 67

tu manes ne laede meos, sed parce solutis
crinibus et teneris, Delia, parce genis.

Hor. c. II, 9. 9, Prop. IV, 11. 1, (cf. adnotat. Rothsteinii). Stat. silv. II, 6. 96, V, 1. 180, II, 1. 153. 230, V, 5. 52, cons. ad Liv. 467 sqq.

Tum hoc argumento rhetores usi sunt, scholae praeceptis obsecuti, cf. Menander 414, 21 (ὁ ἀποθανὼν) μέμφεται τοῖς θρηνοῦσιν. Cf. Skutsch. l. c.

Plut. cons. ad Apoll. 37 p. 121 E.[2])

Plut. ad uxorem 611 C ἐκείνη δ' εἰς τὸ ἄλυπον ἥκουσα λυπεῖν ἡμᾶς οὐ δεῖται.

Dio Chrysost. Charidemus or. 30, 9 μὴ συγχωρεῖτε τῇ ἀλγηδόνι, ὡς μηδενὸς ἐμοὶ δεινοῦ συμβεβηκότος.

Phalaris epist. 10 καίτοι στεργοτέρᾳ φύσει πρὸς τὰ τοιαῦτα χρώμενος διὰ τὸ μηδὲν ὄφελος ὁρᾶν μηδὲ τοῖς ἀμέτρως ἀνιωμένοις.... νομίσας οὖν ἀξίας παρ' αὐτοῦ χάριτας ἀπειληφέναι.... ταύτην αὐτῷ τὴν ἀμοιβὴν ἀντίδος τὸ πράως καὶ μετρίως τὴν ἐπ' αὐτῷ λύπην ἐνεγκεῖν.

---

[1]) Quorum locos collegit Vollmerus ad Stat. silv. (V, 1. 179), II, 6. 93. Praeterea cf. Mallet l. c. [p. 46] p. 60, p. 61 adn. 1.

[2]) Cf. Buresch, hist. cons. in stud. Lipsiens. IX (Lipsiae 1887) p. 49.

Seneca ad Polyb. de cons. V.

Praeterea autem poetae in v. II, 16 haec alia formula ob animum versata esse videtur: anthol. lat. epigr. B. 161. 162

de qua nihil unquam dolui nisi cum mortua est.

Similiter: C I L VI, 3. 20634. 20679. 24243. 26467a. 29054.[1])

8) Moribundus (vel mortuus) superstites rogat, ut sui memores sint.

V. 17 set meminisse velim.

Cf. Philetae versus p. 47 exscriptos; epigr. gr. K. 559, 5

μέμνεο κὴν ζωοῖς ἐμέθεν.

56—58. 59. 60. 62. Anthol. Pal. 667, 4 (cf. p. 53).

Hor. c. III, 27. 15 et memor nostri Galatea vivas

Tib. III, 5. 31 vivite felices, memores et vivite nostri,
sive erimus seu nos fata fuisse velint

Prop. IV, 11. 91. Ov. her. XI, 125.

Ovidius hoc argumentum multis modis variavit in Tristibus et epistulis ex Ponto, in quibus se quasi mortuum plangit. Cf. adn. 1 et locos p. 55/56 allatos; praeterea cf. ex. gr. tr. III, 6. 21, V, 9. 33, ex P. II, 4. 3. Ex carminibus epigraphicis haec affero: anthol. lat. epigr. B. 92, 8

have casta coniunx et mei serva memoriam.

179. 367, 6. 385, 6. 799, 1. 1011, 6. 1216. 1290, 7.

9) Mortuus propinquorum memoria semper vivet.

17 vivam sermonibus illic.
semper ero, semper si meminisse voles.

Cf. Pindar Ol. 8, 77. 14, 20[2]); Pyth. 5, 98

καταχρύπτει δ'οὐ κόνις συγγόνων
κεδνὰν χάριν.

---

[1]) Has inscriptiones attulit Burmannus ad el. II, 16, ubi praeterea collegit Ov. trist. IV, 10. 84, I. 2. 37, Prop. III, 10. 13, IV, 11. 56.

[2]) Cf. Rohde Psyche II² p. 201 adn. 4; p. 202, adn. 3; p. 390; p. 201 adn. 3.

Athen. Mitteilungen 1892, p. 272[1]) V. 5 sqq.

τοίγαρ, ὅσοι Βρομίῳ Παφίῃ τε νέοι μεμέλησθε,
δευόμενον γεράων μὴ παρανεῖσθε τάφον.
ἀλλὰ παραστείχοντες ἢ οὔνομα κλεινὸν ὁμαρτῇ
βωστρέετ' ἢ ῥαδινὰς συμπαταγεῖτε χέρας.

Anthol. lat. epigr. B. 1223, 10

siqne voles semper dulci me voce vocare,
ad superos iterum vibam te sospite semper.

Hieronymi ep. 39, 7 *nunquam in meis moritura* (*Blaesilla*) *est libris. Audiet me semper loquentem cum sorore, cum matre;* ep. 60. sub fin. *et cum quo loqui non possumus, de eo loqui numquam desinamus.*

Auson. parent. XV, 2 Sch. V. 11

gaudent compositi cineres sua nomina dici:
voce ciere animas funeris instar habet.
frontibus hoc scriptis et monumenta iubent.

l. c. XV, 6, 31. 32, XV, 10. 15, commemor. profess. Burdigal. 26, 5. Cf. quae Skutschius ad Stat. silv. II, 7. 124 editionis Vollmerianae attulit.

10) Mortuus ipse vel apud inferos propinquorum et amicorum semper memor erit.

El. I, 21 ipse ego, quidquid ero, cineres interque favillas,[2])
tunc quoque non potero non memor esse tui.

Hom. Il. 22, 389

εἰ δὲ θανόντων περ καταλήθοντ' εἰν 'Αΐδαο,
αὐτὰρ ἐγὼ καὶ κεῖθι φίλου μεμνήσομ' ἑταίρου.

Epigr. gr. K. 559, 3

ἐν δ' 'Αχέροντι
ὑμνήσω τὴν σήν, ὦ ἄνερ, εὐσεβίην.

A. P. VII, 179 εἰς δοῦλον.

σοὶ καὶ νῦν ὑπὸ γῆν, ναὶ δέσποτα, πιστὸς ὑπάρχω
ὡς πάρος, εὐνοίης οὐκ ἐπιληθόμενος.

Ov. ex. P. IV, 1. 17

da mihi, siquid ea est, hebetantia pectora Lethen,
oblitus potero non tamen esse tui.

---

[1]) Cf. Rohde Psyche II² p. 346 adn. 2.

[2]) Cf. p. 59.

Ov. Ib. 141

tunc quoque, cum fuero vacuas dilapsus in auras,
exanimis mores oderit umbra tuos,
tunc quoque factorum veniam memor umbra tuorum,
insequar et vultus ossea forma tuos.

Choricii μονῳδ. p. 182, l. 4 Οὐδ' ἐν Ἅιδου λήσομεν τῶν σῶν καλῶν, φίλτατε ἀδελφέ.

11) Deus aliquis mortuum in campos Elysios sive in caelum ducet.

El. I, 34 te (Augustum) Venus in proprio collocet ipsa sinu.[1]) Multa huius rei testimonia collegit Rohde Psyche II² p. 387 adn. 2, p. 388 adn. 2. Ex locis ibi allatis cf. imprimis

Tibull. I, 3. 58

sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
ipsa Venus campos ducet ad Elysios;

quibus hi loci addi possunt:

Epigr. gr. K. 312, 8

τειμὴ δ'ἐκ Διός ἐστι σὺν ἀθανάτοισι θεοῖσι
Ἑρμείαο λόγοις· ὅς μ' οὐρανὸν ἤγαγε χειρῶν
αὐτίκα τειμήσας καί μοι κλέος ἐσθλὸν ἔδωκεν.

414, 8.

A. P. VII, 545 Hegesippi

τὴν ἐπὶ πυρκαϊῆς ἐνδέξιά φασι κέλευθον
Ἑρμῆν τοὺς ἀγαθοὺς εἰς Ῥαδάμανθυν ἄγειν.

Ov. met. XV, 843

vix ea fatus erat, media cum sede senatus
constitit alma Venus, nulli cernenda, suique
Caesaris eripuit membris nec in aera solvi
passa recentem animam caelestibus intulit astris.
dumque tulit, lumen capere atque ignescere sensit
emisitque sinu.

Gregor. Nyss. orat. funebr. de Placilla (Migne t. 46) p. 892. ταύτῃ ἐνηρξήθη τῇ πίστει, ταύτῃ ἐνήκμασε, ταύτῃ τὸ πνεῦμα παρακατέθετο. ὑπὸ ταύτης προσήχθη τῷ κόλπῳ

---

[1]) *Venus ipsa:* Hor. c. II, 8. 13. Tib. I, 8. 5; I, 3. 58. Prop. III, 4. 19; IV, 1. 46. Cf. adn. Kiesslingii ad Hor. c. I, 3. 38.

τοῦ πατρὸς τῆς πίστεως Ἀβραάμ παρὰ τὴν τοῦ παραδείσου πηγήν.

Cf. Skutsch. l. c. p. 938, 13.

Venus apud elegiae auctorem Augustum, apud Ovidium Caesarem ad deos ducit, quod auctrix gentis Iuliae est.

Praeterea elegiarum auctor nonnullas singulas voces in suum usum convertit, quae in epigrammatibus sepulcralibus usitatae erant.

In v. I, 18 eleg. auctor dicit de Maecenate:

tu decus et laudes huius et huius[1]) eras

fortasse non sine memoria versuum illorum, in quibus Vergilius et Horatius Maecenatem *decus* appellant[2]): Verg. georg. II, 40, Hor. c. I, 1. 2, c. II, 17. 3, c. III, 16. 20. Multo magis autem ideo Maecenatem ab eo hoc nomine appellari puto, quod in carminibus sepulcralibus et consolatoriis hoc epitheton mortui saepius legerat. Invenitur apud Graecos, a quibus Romani id didicerunt:

Cf. A. P. VII, 90 εἰς Βίαντα

κλεινοῦς ἐν δαπέδοισι Πριήνης φύντα καλύπτει
ἥδε Βίαντα πέτρη, κόσμον Ἴωσι μέγαν

epigr. gr. 574, 5 K.

οἰκτρὰ δ᾽ ὑπὲρ τύμβοιο κατεστονάχησαν ἑταῖροι,
κείμενον οὗ θιάσου κόσμον ὀδυρόμενοι

et apud posteros: Himer. in Rufinum. or. XXIII, 5 ὦ πρότερον μὲν Χαρίτων, νυνὶ δὲ Ἐρινύων καλλώπισμα. Gregor. Nazianz. or. VIII, p. 796 A (Migne 47) ἓν ἔτι προςθήσω τοῖς περὶ αὐτῶν

[1]) *Hic et hic* eodem modo positum est apud Verg. georg. IV, 84. Aen. XII, 510. Paneg. in Mess. 39. 40. Stat. silv. I, 2. 221. Claudian. in Rufin. II, 468, in Eutrop. II, 351. Nuc. 103. (Cf. Vollmeri adnot. ad Statii locum allat.). Anthol. lat. 8, 44 R.

[2]) *Decus* de personis iam in antiqua poesi Romana dicitur. Fortasse ei, qui primi hoc vocabulo ita usi sunt, verterunt vocem graecam, quae est κόσμος. Cf. O. Ribbeck scaenic. Rom. poes. fg. I², p. 248. XLVIII:

o parens antiqua nostrae gentis, Argivum decus

Lucr. III, 3 te sequor, o Graiae gentis decus

Verg. ecl. V, 33, Aen. VI, 546, X, 506.

λόγοις, οἳ καλῶς καὶ δικαίως ἀμφοτέροις τοῖς γένεσιν ἐμερίσθησαν· ὁ μὲν ἀνδρῶν εἶναι κόσμος, ἡ δὲ γυναικῶν, καὶ οὐ κόσμος μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀρετῆς ὑπόδειγμα.

Auson. Parentalia XV, 11 Sch. V. 24

et dolor atque decus coniugis Ausonii

(cf. Verg. Aen. X, 507)

l. c. XVI, 1 o generis clari decus, o mihi funus acerbum

l. c. XIX, 8 decus hoc matrisque meumque

commemor. profess. Burdigal. 3, 7

palmae forensis et camenarum decus

l. c. 25, 11 tam decus omne tuis quam mox dolor

(cf. Verg. ecl. V, 34)

Sidonii Apollinaris epist. II, 8 (nenia in Filimatiam)

o splendor generis, decus mariti
prudens, casta, decens, severa, dulcis

Senec. ad Marc. XX, 4 *Cn. Pompeium, decus istud firmamentumque imperii.* Ambros. de excessu fratis sui Satyri liber II, p. 1299 Migne *Quid enim superest suavitatis, quibus tam praedulce decus, tam clarum in his mundi tenebris lumen exstinctum est: in quo non nostrum solum familiae, sed totius patriae decus occidit.*

Ut in v. I, 18 vocem *decus*, quae erat usitata in carminibus sepulcralibus, in suum usum convertit, ita in v. II, 23 *exemplum*:

exemplum vixi te propter molle beati,

quod iam in cons. ad Liv. v. 13 fecerat:

occidit exemplum iuvenis memorabile morum.

Utuntur sane hac elocutione alii quoque, ut

Ter. Adelph. 767 ecce autem hic adest exemplum disciplinae

Ter. Andr. 91 enimvero spectatum satis
putabam et magnum exemplum continentiae.

Cic. de or. I, 53 *cum esset ille vir . . . . . . exemplum innocentiae.*

Imprimis autem in epigrammatibus sepulcralibus tales formulae occurrunt. Cf. anthol. lat. epigr. B.

423, 1 exemplum periit castae, lugete, puellae

437, 15 exemplum laudis vixi, dum vita manebat

C. I. L. VIII, 8854 *quae exemplo esses feminarum, nisi XXIII annorum erepta gravem fletum viro reliquisses.*

Item *cineres interque favillas* (eleg. II, 21) formula inscriptionum sepulcralium est; cf. l. c.

405, 2 arsit et in cineres iacet hic versum atque favilla
960, 3 si quaeris, quae sim, cinis en et tosta favilla
1205, 5 hic iaceo infelix cinis et combusta favilla.

Tum in v. I, 7

illa (sc. Charonis ratis) rapit iuvenes

verbum illud invenitur, quod de Charone in epigrammatibus sepulcralibus praedicari solet;

cf. epigr. gr. 371, 3 K. ἀπλήρωτ' Ἀΐδα, τί με νήπιον ἥρπασας
A. P. VII, 603 (Χάρων) ἥρπασεν ἤδη τὸν νέον
l. c. 671 πάντα Χάρων ἄπληστε, τί τὸν νέον ἥρπασας αὔτως
Anthol. lat. epigr. B. 649, 7

ultra annos sapiens praeceps fata invida raptum

Ausonii Parent. XV, 9, 5. XII, 10, 11. 16, 3.

Elegiarum igitur in Maec. auctor carmina sua cum omnibus poeseos illius aetatis deliciis exornare, tum eis, quae carminum consolatoriorum et sepulcralium propria putabantur, induere studuit.

Caput IV.

Rhetorica.

Iam restat, ut demonstretur, quantum ad haec carmina componenda ars rhetorica valuerit.

Ac primum quidem, si quaerimus, quomodo poeta elegiam I. disposuerit, has partes discernere possumus: v. 1—12: poeta dicit, quis sibi auctor fuerit, ut Maecenatem carmine defleret; v. 13—106: laudat Maecenatem; v. 107—128: queritur Maecenatem diutius vivere non potuisse, quod hominum vita perbrevis sit.[1]) Tum sequitur lacuna ante versus 129—140, ut quomodo hi versus cum ceteris cohaereant, vix dici possit. Denique v. 141—42 poeta optat, ut Maecenati terra levis sit, et promittit se semper eius sepulcrum floribus ornaturum esse.

In universum eleg. I. dispositio ceterarum consolationum rationi respondet: prima pars etiam in Statii consolationibus occurrit = Vollm. 1. (cf. Vollmeri edit. p. 317), item pars tertia = Vollm. 4. et conclusio; laudatio mortui et secundum rhetorum praecepta[2]) et secundum consolationum usum maxima et praecipua pars carminis est.

---

[1]) Fortasse rectius eleg. in Maec. I. θρῆνον quam παραμυθητικὸν λόγον appellamus; neminem enim poeta consolatur, sed mortem Maecenatis lamentatur; cf. Menander l. c. p. 434, 18 sqq. Spengel.

[2]) Haec rhetorum praecepta etiam patres ecclesiastici in orationibus consolatoriis et funebribus bene norunt. Cf. Hieronym. epist. 60, 5. 8. Gregor. Naz. or. VIII, p. 79 D. (t. 38. Migne) or. XVIII. p. 989 D 90. Gregor. Nyss. (t. 46. Migne) p. 813 B. Sequuntur autem ea et in rerum dispositione et in inventione, cuius rei omnes loci patrum ecclesiast. supra et infra p. 68 sqq. allati argumento esse possunt.

In hac laudatione primum Maecenatis γένος breviter laudat v. 13, tum eius φύσιν 17—20, ἐπιτηδεύματα v. 21 sqq., πράξεις v. 31 sqq.; cf. Menand. rhet. gr. Sp. III, p. 413 χρὴ δ' εἰδέναι, ὅτι συνίσταται ἐκ τῶν ἐγκωμιαστικῶν γένους, φύσεως, ἀνατροφῆς, παιδείας, ἐπιτηδευμάτων, πράξεων: Cic. de orat. II, 11. 46 *qui laudabit quempiam, intelleget exponenda sibi esse fortunae bona. Ea sunt generis* (cf. v. 13), *pecuniae, propinquorum, amicorum* (v. 13. 15. 103), *opum, valetudinis, formae, virium, ingenii* (cf. v. 17 sqq.) *et ceterarum rerum ...... deinde quid sapienter is, quem laudet, quid liberaliter, quid fortiter* (cf. v. 39 sqq.) ...... *quid denique cum aliqua virtute aut fecerit aut tulerit.*

Ut Cicero praecipit, primum Maecenatis virtutes, tum eius res gestas poeta laudavit.[1])

Deinde in vss. 15/16

omnia cum posses tanto tam carus amico,
te sensit nemo velle nocere tamen

31/32 maius erat potuisse tamen nec velle triumphos,
maior res magnis abstinuisse fuit

tale praeceptum rhetoricum observavit, quale est hoc Ciceronis in oratore II, 84. 342 *sed tamen, quod ipsa virtus in earum rerum* (virium, opum, divitiarum etc.) *usu ac moderatione maxime cernitur, tractanda in laudationibus etiam haec sunt naturae et fortunae bona, in quibus est summa laus: non extulisse se in potestate ......*

Cf. cons. ad Liv. 371—76.

C. I. L. XIV, 3597 in laudatione Matidiae ab Hadriano habita fgm. 18, lin. 30. Vollmer[2]): *gaudere fortuna mea maluit quam frui.* Confert Vollmerus p. 524 Nep. Att. XII, 2 *cuius* (Antonii) *gratia cum augere possessiones posset suas, tantum abfuit a cupiditate pecuniae, ut nulla in re usus sit ea nisi in deprecandis amicorum aut periculis aut incommodis.*[3])

---

[1]) Cf. R. Volkmann, Rhetorik d. Griechen u. Römer[2] p. 324. 356.

[2]) Jahrb. f. Philol. Suppl. XVIII p. 476.

[3]) Adde Senec. Polyb. 3, 2 *nemo potentiam eius iniuria sensit, nunquam ille te* (Polybium) *fratrem ulli minatus est* (locum a Skutschio l. c. allatum).

Liban. epit. in Iulian. I, p. 527 Reiske: τούτου δὲ τὴν γνώμην οὐκ ἠλλοίωσεν ἡ περὶ ἐκεῖνον τύχη οὐδὲ τὸ βασιλεύειν οἱ τὸν ἀδελφὸν ἀφορμὴν εἰς ῥᾳθυμίαν ἔλαβεν.

In verss. 21 sqq. et 51 sqq. Maecenatem a lividorum obtrectationibus defendit: hoc quoque in rhetorum schola didicerat. Cf. Quintilian. III, 7 de laude ac vituperatione 6: *quaedam vero etiam in defensionis speciem cadent, ut si in laude Herculis permutatum cum regina Lydiae habitum et imperata, ut traditur, pensa orator excuset.* Sopatri Proleg. Arist. Panath. III[1]), p. 743 ed. Dindorf: ἐὰν μὲν οὖν ἔνδοξα θέλωμεν ποιῆσαι τὰ κατὰ φύσιν ἀμφίδοξα, τότε δεῖ.... τὰ δὲ διαβολῆς παὶ κατηγορίας ἐχόμενα εἰς ἔπαινον μετατιθέναι ταῖς λύσεσιν, ἵνα ὁ σκοπὸς πανταχόθεν ἡμῖν ἀνύηται, τὸ κατασκευάσαι διόλου τὴν ὑπόθεσιν ἔνδοξον. p. 752: τὰ δοκοῦντα διαβολῆς ἄξια εἰς ἐγκώμια μετατίθεμεν, ἵνα τελείως ὁ λόγος ἔνδοξος γένηται.

Cf. Isocr. X, 45. Bus. 36.

Sic Maecenatem non neglegentem et luxuriosum, sed simplici animo fuisse poeta probare studet.

Cf. Hieronym. epist. 77, 3 de morte Fabiolae: *et quia statim in principio, quasi scopulus quidam et procella mihi obtrectatorum eius opponitur, quod secundum sortita matrimonium prius reliquerit: non laudabo conversam, nisi prius ream absolvero.*

In verss. 51 sqq. poeta Maecenatem ita defendit, ut deos et heroes idem atque eum fecisse demonstret; haec argumentandi ratio scholam rhetoricam resipit; quae opinio ea re non refutatur, quod simile aliquid nisi apud poetas inveniri non videtur. Nam in omnibus rebus, quae ad iudicium pertinent, ut in defendendo et accusando, poetae inde ab Euripidis temporibus rhetorum discipuli fuerunt.

Cf. Lydia 75 ergo, quod deus atque heros, cur non minor aetas?
Ter. Eun. 587

impendio magis animus gaudebat mihi
deum sese in hominem convortisse atque in alienas tegulas
venisse clanculum per impluvium fucum factum mulieri.
at quem deum! qui templa caeli summa sonitu concutit.
ego homuncio hoc non facerem?

---

[1]) Cf. R. Volkmann, Rhetorik d. Griechen u. Römer² p. 320.

Prop. II, 8. 21 sqq. 39.[1]) Prop. II, 30. 27 sqq. Hor. c. II, 4, 1—12. Ov. a. a. II, 215 sqq.

221 paruit imperio dominae Tirynthius heros:
i nunc et dubita ferre quod ille tulit! (Cf. el. I, 69 sqq.)

Exempla quoque, quibus in argumentatione poeta utitur, Phoebi, Bacchi, Herculis, Iovis rhetoribus debet; inveniuntur enim similia apud eos poetas, apud quos sine dubio ars rhetorica multum valuit.

Cf. laud. Pison. 139 sqq.

nec enim facundia semper
adducta cum fronte placet: nec semper in armis
bellica turba manet, nec tota classicus horror
nocte dieque gemit, nec semper Gnosius arcum
destinat, exempto sed laxat cornua nervo,
et galea miles caput et latus ense resolvit.
ipsa vices natura subit

149[2]) cessat hiems madidos et siccat vere capillos.
ver fugit aestates; aestatum terga lacessit
pomifer autumnus, nivibus cessurus et undis.
ignea quin etiam superum pater arma recondit
et Ganymedeae repetens convivia mensae
pocula sumit ea, qua gessit fulmina dextra.
temporibus servire decet: qui tempora certis
ponderibus pensavit, eum si bella vocabunt,
miles erit, si pax, positis toga vestiet armis.

A. P. XII, 101. 5

φίλε κοῦρε, τί θαμβεῖς;
καὐτὸν ἀπ' Οὐλύμπου Ζῆνα καθεῖλεν ἔρως.

Senec. Herc. fur. 465 sqq.

fortem vocemus cuius ex humeris leo,
donum puellae factus, et clava excidit
fulsitque pictum veste Sidonia latus?

468 non erubescit Bacchus effusos tener
sparsisse crines nec manu molli levem
vibrare thyrsum, cum parum forti gradu
auro decorum syrma barbarico trahit:
post multa virtus opera laxari solet.

Cf. el. I, 49. 50.

---

[1]) Cf. Rothsteinii adn. ad Prop. II, 8. 39.

[2]) Ad vss. 149 sqq. cf. Hor. c. IV, 7. 9—12, quos versus auctor carminis in Pison. imitatus est.

Adde Sen. Phaedr. 296 sqq., 317 sqq. Herc. Oet. 371 sqq.

Neque aliter ac de his exemplis iudicandum esse censeo de Tithono v. 119 sqq. et Nestore 137/138.[1]) Scilicet haec quoque exempla senectutis rhetoribus accepta referunt poetae, id quod vel nonnulli loci supra p. 40 allati docere poterant [Stat. silv. II, 3. 72. I, 4. 125. V, 3. 254. Sen. ludus de morte Claudii IV, 14. Verg. cat. 9, 16.]. Nestori et Tithono saepius Priamus aliique adduntur. Cf. Prop. II, 52. 10. II, 13. 46. Ov. a. III, 7. 41. Priap. 57, 4. 76, 4. Stat. silv. II, 2. 107. IV, 3. 147. Cf. Vollmeri adnot. ad Stat. s. I, 4. 125. Martial. II, 64, 3 (Cf. Friedlaenderi adnot.). V, 58. 5. VI, 70. 12. VIII, 64. 13. XI, 66. 13. Iuv. sat. X, 246 sqq. Maxime memorabile est etiam in carminibus et orationibus consolatoriis eodem modo Tithonum et Nestorem induci; eleg. igitur auctor consolatorum usui hac quoque in re se applicuit; cf. plurimos locos Statii supra allatos, tum Aristid. εἰς Ἐτεωνέα ἐπικηδ. I, p. 132. Dind.: ἀλλ' ἐάν τε Ἀργανθώνιον ἐάν τε Τιθωνὸν λέγῃ τις ἐάν τε τὸν τρεῖς γενέας διακέρσαντα Νέστορα τὸν Πύλιον.

Philodem. περὶ θανάτου XIX, 33 Mekler: ὁ δ' ἄφρων οὔτ' ἀξιόλογον ἐπιλήψετ' ἀγαθόν, ἂν καὶ τὸν Τιθωνοῦ διαγένηται χρόνον.

Neque minus rhetoribus debentur exempla longae vitae, quae eleg. auctor in versibus antecedentibus affert 113 sqq.:

---

[1]) Notandum est eleg. in Maec. auctorem Nestorem non, ut usitatum erat, feliciorem futurum fuisse dicere, si prius mori potuisset, neque ita multum propinquos eius mortem deflevisse (cf. Hor. c. II, 9. 13. Prop. II, 13. 46. [v. Rothsteinii adn.] Plut. ad Apoll. 24. Cic. Tusc. I, 93. Iuv. X, 46. Buecheler, mus. Rhen. 37, p. 231. A. Gercke, de consolationibus in Tirocinio philologico, Berol. 1883, p. 55 sqq.). Immo elegiar. auctor rem in contrarium vertit (quem secutus?)

et Pylium flevere sui ter Nestora canum:
dicebant tamen hunc non satis esse senem.

et scribendum est. *ter* coniunge cum *canum*, cf. *trisaeclisenex* Laevii apud Gellium XIX, 7. Hor. c. II, 19. 13 *ter aevo functus,* Prop. II, 13. 46 *post tria saecla.* Hom. Od. γ, 245. Il. A, 250. Aristid. I, p. 132 Dind. (Locus supra exscriptus est.)

arbores, cervus vivax, annosa cornix.[1]) Est enim locus communis in carminibus consolatoriis hominem ab animalibus quibusdam sive herbis vitae longitudine superari, et ad hanc sententiam probandam semper fere eadem exempla afferuntur, anguium, cervorum, cornicum, vulturum etc.

Qui locus communis originem duxit ex philosophia, quae dicitur popularis, quod probatur hoc loco Ciceronis Tuscul. III, 28: *Theophrastus autem moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset, hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset.* Tum haec sententia migravit in poesin Alexandrinam et hinc ad Romanos. Cf. [Moschi] epitaph. Bionis III, 100 sqq.

αἰαῖ ταὶ μαλάχαι μὲν, ἐπὴν κατὰ κᾶπον ὄλωνται,
ἢ τὰ χλωρὰ σέλινα τότ' εὐθαλὲς οὖλον ἄνηθον
ὕστερον αὖ ζώοντι καὶ εἰς ἔτος ἄλλο φύοντι.
ἄμμες δ'οἱ μεγάλοι καὶ καρτεροὶ, οἱ σοφοὶ ἄνδρες,
ὅπποτε πρᾶτα θάνωμες, ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλᾳ
εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον.

Ov. am. II, 6. 33

vivit edax vultur ducensque per aera gyros
miluus et pluviae graculus auctor aquae,
vivit et armiferae cornix invisa Minervae
illa quidem saeclis vix moritura novem:
occidit illa loquax humanae vocis imago,
psittacus, extremo munus ab orbe datum.

Ov. a. a. III, 77

anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas,
nec faciunt cervos cornua iacta senes:
nostra sine auxilio fugiunt bona.

Tib. I, 4. 35

crudeles divi! serpens novus exuit annos:
formae non ullam fata dedere moram.

---

[1]) Cf. Hes. fr. 163 Göttl.

ἐννέα τοι ζώει γενέας λακέρυζα κορώνη
ἀνδρῶν ἡβωντῶν· ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος.

Arist. av. 608 Mein. Hor. c. III, 17. 13. Iuv. X, 247. Plin. hist. nat. VII, 48. 153. Ov. met. VII, 273

vivacisque iecur cervi.

medic. fac. 59. Eleg. in Maec. I, 115.

Cat. 5, 4

soles occidere et redire possunt:
nobis cum semel occidit brevis lux,
nox est perpetua una dormienda.

Hor. c. IV, 7. 13

damma tamen celeres reparant caelestia lunae:
nos ubi decidimus
quo pater Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,
pulvis et umbra sumus

(Similis est sententia apud Hom. Il. 9, 408 sqq.)

In elegia altera ars rhetorica minus conspicua est, id quod mirum non est; nam in hoc carmine componendo poeta, ut supra vidimus, elegia sive elegiis prioris cuiusdam poetae usus est. Neque tamen omnino deest rhetorum disciplina; nam in v. 10

amplexus, oscula, verba, manus

fortasse non sine consilio hac asyndeti figura[1]) usus est, recordatus praeceptum quoddam rhetoricum, quale hoc est: Plut. quaest. Plat. X, 4 λόγος συνδέσμων ἐξαιρεθέντων πολλάκις ἐμπαθεστέραν καὶ κινητικωτέραν ἔχει δύναμιν.

Praeterea, quae dicit poeta in v. 29:

et tibi subcrescant iuvenes bis Caesare digni

videtur locus communis fuisse in carminibus gratulatoriis, a rhetoribus fortasse commendatus.

Cf. Tib. I, 7. 55

et tibi succrescat proles, quae facta parentis
augeat et circa stet veneranda senem

II, 2 hac veniat natalis avi prolemque ministret,
ludat et ante tuos turba novella pedes

Ov. trist. IV, 5. 31

sic iuvenis similisque tibi sit natus, et illum
moribus agnoscat quilibet esse tuum!

---

[1]) Haec forma asyndeti, qua quattuor voces coniunctione nulla intermissa enumerantur, non ita frequens est. Cicero solus ea saepius usus esse videtur. Cf. ex. gr. fam. V, 8 *operam, curam, diligentiam, auctoritatem meam.* Plura exempla affert Draeger, syntax. hist. II² p. 193. Cf. Norden, de Minucii Felicis aetate etc. p. 30.

Demonstratum igitur est elegiarum auctorem non modo carmina poetarum memoria tenuisse, sed etiam diligentem rhetorum discipulum fuisse.

Quamquam ab elegiarum in Maec. auctore — qui ordinis equestris erat, cf. cons. ad Liv. 202 — non omnino alieni sunt versus Horatiani a. p. 382 sqq.:

qui nescit versus tamen audet fingere. quidni?
liber et ingenuus, praesertim census equestrem
summam nummorum vitioque remotus ab omni,

eas non contemnendas esse censeo, non modo, quod Ovidiis, Statiis, Martialibus satis dignae visae sunt, quas sibi exemplo sumant, sed etiam alia de causa. Novimus Tibullum, Propertium, Horatium, Vergilium, Ovidium, sed qui eorum rotas, ut ait Propertius, secuti sunt, maximam partem nomen et umbra sunt, ut montium cacumina pleno solis lumine fulgent, cum colles vallesque nebulis nubibusque caligent. Magno igitur cum gaudio numerum carminum poetarum latinorum aetatis Augusteae augeri videmus, ex quibus melius metiri discimus, et quomodo magna illa ingenia aequalium poetarum, qui erant minorum gentium, artem aluerint, et quid vel parvum ingenium, dum modo magna exempla imitanda sibi proposuerit, praestare potuerit.

Appendix.

Liceat mihi in appendice nonnulla addere, quae ad consolationem ad Liviam pertinent. Ac primum quidem nonnulla nova testimonia τόπων a Skutschio tractatorum afferam.

Cons. 129 Caesaris uxori si talia dicere fas est,
iam dubito, magnos an rear esse deos

cf. 193 sqq.

Fronto, de nepote amisso p. 232 N. *saepe etiam expostulo cum dis immortalibus et iurgio compello. . . . . . Si providentia res gubernantur, hoc idem recte provisum est. Si fato cuncta humana decernuntur, hoccine fato decerni debuit?*

Quod attinet ad formam versus 359: tendimus huc omnes cf. Lucr. VI, 26

exposuitque bonum summum, quo tendimus omnes[1])

Ov. met. X, 34

tendimus huc omnes, quae est domus ultima.

Mortem omnibus hominibus communem esse Graeci variis modis docent:

Eur. fgm. 46 Nauck

πάντων τὸ θανεῖν· τὸ δὲ κοινὸν ἄχος
μετρίως ἀλγεῖν σοφία μελετᾷ.

Fgm. 757 N. Temenid. frg. 733

τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποισι κατθανεῖν μένει.

Epigr. gr. K. 256, 10 κοινὸς ἐπεὶ θνατοῖς ὁ πλόος εἰς φθιμένους

A. P. VII, 452 κοινὸς πᾶσι λιμὴν Ἀίδης

339, 2 εἵμαρτο πᾶσιν, οὐχὶ δ'ἐμοὶ δὲ μόνον.

---

[1]) Itaque non iam dici poterit consol. ad Liv. auctorem in versus 359 forma a Seneca (Polyb. 11, 4. epist. 99, 7) pendere.

[Plaut.] Cas. 19 qui nunc abierunt hinc in communem locum. Cf. Cic. Tusc. III, 56 sqq., ubi Cicero de hoc argumento copiose disserit.

Saepissime haec sententia occurrit mortem esse debitum Plutoni solvendum. Cf. Rohde, Psyche II² p. 199 adn. 2. Eur. Andr. 1244 κατθανεῖν ὀφείλεται. Alc. 780. Aeg. fgm. 6. Soph. El. 1173, ubi Kaibelius affert: Eur. Alc. 419. 782. Andr. 1271, fr. 10. Epigr. gr. K. 367, 6 πάντες ὀφειλόμεθα. 371, 3. 576, 4. 577, 6. 578. A. P. VII, 459, 3 Callimachi ὕπνον ὀφειλόμενον. Item 219, 4. Epigr. gr. K. 132, 3 ~ 339, 2 κεῖμαι τῷ θανάτῳ μηδὲν ὀφειλόμενος

Ut in consol. v. 359 vita iter vel stadium est, cuius finis vel meta mors esse dicitur, his locis:

Menand. fr. 281 (Com. IV, 293 M.)

ἐπὶ τοῦτ' ἐγένοντο πάντες, ἐνθάδ' ἥξομεν.

Antiphan. Aphrodis. apud Stob. flor. IV, p. 132 Mein.

πενθεῖν δὲ μετρίως τοὺς προςήκοντας φίλους·
οὐ γὰρ τεθνᾶσιν, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ὁδόν,
ἣν πᾶσιν ἐλθεῖν ἔστ' ἀναγκαίως ἔχον,
προεληλύθασιν.

Hor. c. II, 3. 25, c. II, 17. 10. Prop. III, 18. 21.¹) Stat. silv. II, 1. 218.²) Seneca ad Marc. XI, 2. XXI, 5. ad Polyb. IX, 9.

Aristid. ἐπιταφ. εἰς Ἐτεωνέα I, p. 131 Dindorf: πάντως δὲ ἡ μὲν τελευτὴ κοινὸς ἅπασιν ὅρος πρόκειται. Gregor. Naz. p. 777 B. (t. 67 Migne) οὐ πρὸς τὴν αὐτὴν ἐπειγόμεθα μονήν; Xenoph. epist. 3.

V. 369 sqq.

vita data est utenda, data est sine fenore nobis
mutua: nec certa persoluenda die.

Cf. Rohde Psyche II² p. 385 adn., p. 394 adn. 2; Heinzii adn. ad Lucr. III, 971. Locis ibi et apud Wendlandium et Bureschium (cf. Skutsch l. c.) allatis adde:

A. P. VII, 732

ὤχευ ἔτ' ἀσκίπων, Κινησία, Ἑρμόλα υἱέ,
ἐκτίσων Ἀίδῃ χρεῖος ὀφειλόμενον.

¹) Cf. Mallet l. c. [p. 46] p. 58 et adn. 3, qui multa similia affert.

²) Cf. Vollmeri adn.

Epigr. gr. K. 288, 2

γαῖα λαβοῦσα γέρας τοῦθ', ὃ δέδωκε πάλαι.

387, 10 τὸ δ' ὀφειλόμενον ἀπέδωκα τῇ φύσει τέλος.

Cf. locos ad v. 357 supra p. 69 allatos.

Ambros. de obitu Satyri fratris I, p. 1291 B Migne: *laetandum est enim magis, quod talem fratrem habuerim, quam dolendum, quod fratrem amiserim; illud enim munus, hoc debitum est. Itaque perfunctus sum, quamdiu licuit, commisso mihi fenore: qui deposuit pignus, recepit.* [Hieronym.] ep. 40 (t. 30 p. 287 Migne) (ad Tyrasium super morte filiae suae consolatoria): *Quis est, qui plangat, quod ad tempus acceperat? commodaverat, ut haberes, quantocunque tempore voluisset, ut cum vellet, rursus auferret. Nihil abstulit tuum, qui dignatus est recipere proprium. Creditum suum recipere decuit creditorem, et nihil aliud decet, quam creditori suo gratias agere mutuantem.*

Iulianus moriens dicit apud Ammian. Marcell. 25, 3. 15: *advenit, o socii, nunc abeundi tempus e vita impendio tempestivum, quam reposcenti naturae ut debitor bonae fidei redditurus exulto.* Senec. de remediis fortuit. II, 1. 10, 10. 13, 3. III, 2.

Cons. v. 399 non ex praecipiti dolor in tua pectora venit,
sed per mollitos ante timore gradus.

Cic. Tusc. III, 52 *Chrysippo ita videri scio, quod provisum ante non sit, id ferire vehementius.*

Senec. ep. 78, 29 *Quidquid exspectatum est diu, lenius accedit.*

413 perque annos diuturnus eas fratrisque tuosque.

Cf. anthol. lat. epigr. B. 995, 25. 1080, 3. 1116, 5. 1257, 11. 1541, 3. Prop. IV, 11, 95. Stat. silv. V, 1. 177. Sen. de brev. vit. 8, 4.[1]) (Hor. c. II, 5. 13.) Ambros. de excessu fratris sui Satyri I, p. 1292 C Migne: *dimidiumque meorum decideret temporum, quod ad tuorum proficeret usum.* Ambros. de obitu Valentiniani cons. (t. 16 p. 1372 Migne)

[1]) Cf. Vollmeri adn. ad Statii locum all.

ut de nostris annis viveret, qui fungi non potuit suis, ad quem locum ab editore adnotatum est: „alluditur ad solemnem acclamationis formulam, de qua Tertullianus in Apologet. 35: *de nostris annis augeat tibi Iuppiter annos.*"

Ad vss. 445 et 467 cf. Hieronym. ep. 39, 6, ubi Blaesilla mortua matrem dolentem orat, ut flere desinat. Cf. supra p. 52.

Cons. v. 469

haec sentit Drusus, siquid modo sentit in umbra.

Cf. Rohde Psyche II [2] p. 203 adn. 1, p. 393 adn. 3. Platon. Menex. 248 B. Hypereid. ἐπιταφ. p. 71 Blass. Astydam. Naupl. fgm. 5 Nauck [2] p. 779 (apud Stob. flor. IV, p. 103. M.). Soph. El. 356. Eur. Heracl. 593. Alc. 755. Herc. 488. Senec. ad Polyb. V, 2. Auson. Parent. 22, 15.

Praeterea haec addam:

Cons. 21 funera pro sacris tibi sunt ducenda triumphis.

Cf. Himerii μονῳδία εἰς τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ῥουφ. or. XXIII, 2 ὦ τῆς τραγικῆς καὶ ἀπηνοῦς ἡμέρας, οἷόν μοι σκότος ἀνθ' οἵου φωτὸς ἀντέλαμψεν. Ἐγὼ μὲν ὀρθοῖς καθ' ἑκάστην ἡμέραν εἱστήκειν τοῖς ὠσὶ πρὸς τὴν ἀκοὴν τὴν τριπόθητον, καὶ περιεσκόπουν ἀεὶ τὸν ἄγγελον, ὅστις προςαγγελεῖ Ῥουφῖνον ἥκοντα· ὁ δὲ ἄρα μοι δαίμων οἵαν ἀνθ' οἵας τὴν ἀγγελίαν ηὐτρέπιζε! αὐτὸς μέν σοι λουτρὰ καὶ οἰκίας καὶ πλοῦτον καὶ πᾶν ὅτι κάλλιστον τῶν ἐν ἀνθρώποις εἶναι δοκούντων νύκτωρ ἐφρόντιζον καὶ μεθ' ἡμέραν ἡτοίμαζον. ἠγνόουν δ' ἄρα ὁ δείλαιος ἀντὶ μὲν λουτρῶν ἀνιστάς σοι τάφους, ἀντὶ δὲ οἰκιῶν τύμβους καὶ χώματα, ἀντὶ δὲ πλούτου καὶ χλιδῆς τραγικώτατα δῶρα τῶν ἐν ἀνθρώποις, ἐντάφια.

Cons. 41 quid tibi nunc prosunt mores.

Cf. anthol. lat. epigr. B. 543, 1

quid tibi nunc prodest stricte vixisse tot annos?

Prop. III, 18. 11. IV, 11. 11.[1])

Cons. 125

heu, modo tantus, ubi es? tumulo portaris et igni.

---

[1]) Cf. quae praeterea affert Mallet l. c. [p. 46] p. 59 et adn. 1.

Aesch. Ag. 436 sqq. Soph. Electr. 757[1]). Epigr. gr. K. 104b, 106, 501, 542, 2. A. P. VII, 2b, 4. 18. 21. 73. 84. 136. 137. 227, 3. 4. 235. Hor. c. I, 28. 1 sqq. Libanii ἐπιτάφ. ἐπ' Ἰουλιανῷ p. 625, 22 R.: ὦ μικρὸν μὲν τῆς γῆς μέρος κατέχον διὰ τοῦ τάφου, πᾶσαν δὲ τῷ θαύματι τὴν οἰκουμένην.

Cons. 265 facta ducis vivent operosaque gloria rerum:
haec manet, haec avidos effugit una rogos.

Anthol. lat. epigr. B. 659, 3
nescit fama mori, sed semper vibit ubique.

Cf. Rohde Psyche II² p. 201 adn. 3, p. 262 adn. 1.

Liban. ἐπιτάφ. ἐπ' Ἰουλιανῷ I, p. 623, 9 R. δεῖ τοίνυν ἀντ' ἐκείνου τὴν ἐκείνου δόξαν ἔχοντας φέρειν, καὶ μὴ διὰ τὴν τελευτὴν μᾶλλον ἀλγεῖν ἢ διὰ τὰ πρὸ ταύτης μᾶλλον εὐφραίνεσθαι.

---

[1]) Cf. Kaibelii adn. ad Soph. El. 757 et Rothsteinii adn. ad Prop. II, 9. 14, ubi plura exempla afferuntur.

Vita.

Natus sum Johannes Fridericus Carolus Lillge a. d. XVI. Kal. April. a. MDCCCLXXVI p. Chr. n. Vratislaviae, patre Guilelmo, matre Emilia de gente Steinberg, quos deus optimus incolumes quam diutissime servare mihi velit. Fidei evangelicae addictus sum. Alumnus fui gymnasii S. Johannis, quod tum C. F. W. Muellero rectore florebat. Vere anni MDCCCXCIV inter cives universitatis Vratislaviensis receptus sum, ut studiis philologicis et theodiscis vacarem. Anno MDCCCXCV Bonnam, deinde Gottingam migravi, unde tribus semestribus post Vratislaviam redii, ubi a. d. IV. idus Novembr. anni MDCCCXCIX examen pro facultate docendi absolvi. Inde a Kalendis April. a. MDCCCC Bremae in gymnasio magistri munere fungor.

Docuerunt me viri doctissimi:

Baeumker (nunc Bonnensis), Ebbinghaus, Foerster, Freudenthal, Jiriczek (nunc Monasteriensis), Kaufmann, Koch, Kroll (nunc Gryphiswaldensis), Marx (nunc Lipsiensis), C. F. W. Mueller, Rossbach †, Skutsch, Vogt, Wilcken (nunc Wirziburgensis) Vratislavienses;

Bender, Buecheler, Loeschcke, Martius (nunc Kiliensis), Usener, Wilmanns Bonnenses;


Baumann, Dilthey, Heyne, Leo, Roethe, Schulze, de Wilamowitz - Moellendorff (nunc Berolinensis) Gottingenses.

Sodalis ordinarius seminariorum philologicorum Vratislaviensis, Bonnensis, Gottingensis; proseminarii germanistici Bonnensis et Gottingensis, seminarii germanistici Vratislaviensis, historici Vratislaviensis fui. Aditum mihi concesserunt ad exercitationes philologicas Guilelm. Schulze et C. F. W. Mueller, archaeologicas Loeschcke, Dilthey, Foerster, epigraphicas Buecheler, palaeographicas Wilcken, philosophicas Martius, Baeumker, Freudenthal.

Quibus omnibus gratiam maximam habeo semperque habebo, imprimis vero Skutschio, qui me in hac commentatione conscribenda magna comitate animi adiuvit.

Sententiae controversae.

I. Codices, quibus elegiae in Maec. servatae sunt, omnes ex uno archetypo derivati sunt. Quorum stemma hoc videtur esse:



II. Apud Varronem l. l. V, 22 pro „via si quidem iter“ scribendum est: „via primum quidem iter“.

III. Rhesi tragoediae auctor Homerum non modo imitari, sed etiam corrigere studuit.

IV. Carmen illud theodiscum, quod inscribitur „Klage“, compositum est, postquam carmen, quod inscribitur „der Nibelunge nôt“, in eam formam redactum est, qua memoriae traditum est.